
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com




Digitized by Google

Asc. 3673 d

Passio

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

592 C

Digitized by Google



Campoduni.

Ex typographia olim ducali, nunc J. Koeseliana.

1873.

Digitized by Google

Jesus orans in monte Oliveti.



„Tristis est anima mea usque ad mortem."

Marc. 14, 34.

Digitized by Google

Digitized by Google

Passio

Domini Nostri Jesu Christi

in

quatuordecim sacrae crucis viae stationibus

duodecies expensa

seu

Praxis duodenaria

obeundi sacram crucis viam,

parochis ceterisque sacerdotibus accommodata

a

sacerdote quodam Dioecesis Constantiensis,

nunc iterum edita

a

Parocho quodam

Archidioecesis Monaco-Frisingensis.

Cum approbatione rmi Ordinariatus Monaco-Frisingensis.

Campoduni.

Ex typographia olim ducali, nunc J. Koeseliana.

MDCCCLXXIII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Imprimatur.

Datum Monachii die 28. Martii 1871.

Dr. de Prand,
Vic. gen.



Digitized by Google

Praemonitio editoris.

Libellum praesentem omnibus sacerdotibus in cura animarum constitutis tam aptum tamque utilem, immo spiritualiter jucundum reperi, ut me prohibere non potuerim, quin eum hucusque in nostris regionibus paene incognitum, post annos centum a prima editione elapsos, iterum recudi et publicari curarem.

Rogo ergo vos, sacerdotes domini, ut pretiosum hoc opusculum non despiciatis, sed respiciatis, apprehendatis, legatis; amaritudines vestrae, his maxime diebus plurimae, in amaritudine dominicae passionis vobis salubriter dulcescent. — Valete!

Digitized by Google

Approbatio Eminentissimi Ordinarii.

Petrus non ferens Jesu, filii Dei, mortem, et dicens: ,,Absit a te, Domine! non erit tibi hoc,'') — tulit perinde duram increpationem: ,,Vade post me, satana! (id est: adversarie in hac passionis causa,) scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum.'' Discipulis autem suis stante pede dixit Jesus: ,,Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.''*

O sacerdotes Petrini, seu s. Petri discipuli! Auditis sacrae scripturae textibus, audiatis et glossam interlinearem desuper: ,,Si quis vult venire post me,'' dicit Jesus, i. e. me imitari et discipulus meus fieri:

primo ,,abneget semetipsum'', i. e. renuntiet voluptatibus suis et perimat inordinatos erga se affectus. Est autem duplex abnegatio, una carnis, per quam ei negamus, quod ipsa contra legem divinam ac rectam rationem postulat; altera spiritus, qua animae negatur, quod inordinate appetit;

secundo ,,tollat crucem suam'', i. e. aequo animo ferat omnes tribulationes, morbos ac quidquid nos affligit;

tertio ,,et sequatur me''; est autem sequi Christum, ambulare, sicut ille ambulavit, et amare, quod amavit, uno verbo: est insistere vestigiis Christi ac spiritui ejus se conformare.

Benevole lector, seu clerice saecularis! Si rite ac trite sequi velis Christum ducem et praeceptorem atque recte ac directe intendas insistere vestigiis divini magistri tui in via crucis: ,,inspice'' librum hunc intitulatum: Passio domini nostri Jesu Christi in quatuordecim sacrae crucis viae stationibus duodecies expensa, seu praxis duodenaria obeundi sacram Crucis viam, sacrae scripturae textibus, sanctorum patrum placitis, moralis doctrinae commentationibus illustrata, parochis ceterisque ex venerabili clero saeculari sacerdotibus curae animarum expositis accommodata. Inspice, dico, et fac secundum exemplar!

Constantiae die 18. Octobris 1771.

Ita censet Constantin. Aug. Müller, Can. Cap. ad s. Steph., Cons. Eccl. Convis. ac Libr. Cens. Ord. mpria.

---

*) Matth. 16, 22. 23. 24.



Digitized by Google

Præfatio

ad Plur. Reverendos D. D. Parochos, ceterosque sacerdotes curæ animarum expositos.

Prodiit anno 1746 typis Campidonensibus Autore quodam Seraphici ordinis sacerdote libellus, cui inscriptio: „Sacra Peregrinatio per sacram Crucis viam viginti diversis Praxibus illustrata etc.“ Cum autem pleraque in eo libello contenta Sacerdotibus praesertim Religiosis in Monasteriis degentibus sint accommodata: hinc praesentem Praxin duodenariam ad Sacerdotum saecularium usum conscribere statui, missisque iis, quae sacerdotes religiosos concernunt, ea potissimum ex diversis libris asceticis, de Passione Domini nostri Jesu Christi tractantibus, collegi, quae venerabili Clero saeculari (ex quo plurimi sacrae Crucis Viae ex-

Digitized by Google

ercitio sunt addictissimi) accommodata fore existimavi. Collegi Praxes duodecim pro duodecim anni mensibus, ut varietas spiritum meditantis delectet, et cuilibet mensi Praxis diversa deserviat. Cui vero praeplaceret, singulas meditationes, quarum numerus ad centum sexaginta octo ascendit, in singulos anni dies vel hebdomadas distribuere, huic pro qualibet hebdomade per annum tres saltem, per sacrum Quadragesimae tempus, Passioni Dominicae consecratum, quinque meditationes Praxis haec duodenaria suppeditabit. Utimini igitur, si placet, hoc meo qualicunque conatu, DD. Sacerdotes, et Pastores Venerandissimi! Supervacaneum judico, vobis, utpote viris litteratis et ecclesiasticis, quam fructuosum sit, de Passione Domini saepius meditari, pluribus demonstrare. Pergite in devota vobisque summe fructuosa meditatione illius amarissimae Passionis, cujus memoriam quotidie ad Aram celebratis. Frequentate saepius cum sancto fervore sacram Crucis viam, quae moderno tempore in plerisque vestris Ecclesiis indulto magno indulgentiarum thesauro erecta cernitur.

Digitized by Google

„Venite ad me omnes“, inclamat nobis raucis prae clamore faucibus crucem bajulans Sacerdos summus et Pontifex noster Jesus: *„Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.“**) *„Venite“*, Sacerdotes, amici, Commensales et Domestici mei! *„Venite omnes“, qui in vinea mea diu noctuque laboratis, portantes pondus diei et aestus,***) *et tanto pondere Angelicis etiam humeris formidando onerati estis.“****) *Venite omnes*, qui pascitis oves meas, *pretio sanguinis mei vere magno emptas*,†) *venite ad me Episcopum animarum vestrarum*,††) in via ad montem Calvariae pondere crucis oneratum, et ego vos laborantes et oneratos reficiam, refocillabo et confortabo.

„Venite omnes“ (vos sacerdotes ego minimus compello) ad illum, *„qui sempiternum habet Sacerdotium“*,†††) venite ad Jesum; hic, quid pro salute ovium vobis commissarum pati deceat, docebit, praescribet vobis normam, ad quam, si vitam

---

*) Matth. 11, 28. — **) Matth. 20, 12. — ***) Trid. sess. 6. c. 1. — †) I. Cor. 6, 20. — ††) 1. Pet. 2, 25. — †††) Hebr. 7, 24.

Digitized by Google

actionesque vestras componatis, eritis Pastores omnibus numeris absoluti, omnibus partibus perfecti virtutibusque consummati. Venite ad Jesum, in via crucis pro vobis et pro ovibus vestrae curae commissis extrema patientem, et Jesus patiens in devota suae Passionis meditatione vos reficiet, refocillabit confortabitque, ut tanto oneri vestri officii pastoralis non succumbatis, ut in omnibus laboribus sitis impigri et alacres, in vestris functionibus ferventes, in omnibus angustiis, aerumnis et adversitatibus patientes, in pressuris praecipue, quibus Clerus exulceratis hisce temporibus in dies magis affligitur, constantes, ut adversus ipsam adversitatem obduremini, *„in patientia animas vestras possideatis“*,*) et tandem, *„cum apparuerit Princeps Pastorum*,**) *cum exsultatione venientes, et portantes manipulos“* ***) animarum vobis commissarum, stolam immortalitatis et immarcescibilem gloriae coronam percipiatis!

---

*) Luc. 21, 19. — **) I. Petr. 5, 4. — ***) Ps. 125, 6.

Digitized by Google

Valete *et introeuntes ad Altare Dei**) mementote mei, qui quotidie memor sum Vestri

Totus Vester

Anonymus.

Tessera:

„Christus passus est, vobis (sacerdotibus) relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.“**)

Citata haec sanctissimi nostri Patriarchae Petri verba servient pro praeludio in sequentibus praxis duodenariae meditationibus, quarum quaelibet continet tres numeros, in primo exercitium memoriae, quae breviter mysterium stationis refert; in secundo exercitium intellectus, qui circa mysterium discurrit; in tertio exercitium voluntatis cum affectu et allocutione. —

---

*) Ps. 42, 4. — **) I. Petr. 2, 21.

Digitized by Google

Oratio


praeparatoria ante s. Crucis Viae exercitium.

Summe Sacerdos et vere Pontifex, Jesu Christe, qui pro meis et totius mundi peccatis teipsum in Ara crucis tuo divino Patri obtulisti, et sacram Crucis viam calcasti primus tuisque sacrosanctis initiasti vestigiis: tuo inflammatus exemplo et ex ferventissimo tibi compatiendi desiderio hanc sacram Crucis viam ineo, ex animo dolens de omnibus et singulis totius vitae meae peccatis, solum ideo, quia tuae displicent infinitae bonitati, quam amo et appretio super omnia, cum firmissimo proposito vitandi velut unicum et maximum in mundo malum, nempe peccatum, propter quod non dubitasti manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum. O dolorosissime Jesu! ad amarissimam passionem tuam in via crucis digne et fructuose meditandam durissimum cor meum emolli illudque compassivo erga te dolore confringe, gratia tua memoriam excita, intellectum illumina, voluntatem sic inflamma, ut tibi patienti

sincero affectu compatiatur, *et in meditatione mea exardescat ignis ille*,†] quem *venisti mittere in terram et voluisti vehementer accendi.*††] Qui vivis et regnas etc.

---

†] Ps. 38, 4. — ††] Luc. 12, 49.



Digitized by Google

Praxis prima.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Antiphona. *Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.**)

℣. Adoro te, sanctissime Domine Jesu Christe, et benedico tibi!

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

1) Jesus Christus, filius Dei vivi, stat coram tribunali praesidis Romani, manibus vinctis, catastas inter et strictos acinaces, ibidem accusatus, judicatus, condemnatus.

2) A Christo coram tribunali Praesidis Pilati stante oculos converto ad me ipsum, fors brevi coram tribunali divino com-

*) Ps. 93, 21.

Digitized by Google

STATIO I.



Jesus condemnatur ad mortem.

Digitized by Google

Digitized by Google

pariturum. O tribunal sacerdotibus praesertim formidandum!

De juvene sacerdote statim post primum Sacrum mortuo dixit cum gemitu magnus Avila: „*Satis habet, unde judicetur.*“ Si satis habet, unde judicetur sacerdos de unico celebrato Sacro, quam durum judicium manet me de tot millenis Sacris, de tot obligationibus mei officii, de tot pretiosis animabus meae curae commissis! Vae misero, si hoc mihi suspirium perpetuo suspirandum erit: „*Nisi fuissem de numero Presbyterorum, non fuissem de numero damnatorum!*“ O gemitus miserabilis, horrendus! o pondus vocum! „*Sacerdos coram tribunali divino accusatus, judicatus, condemnatus.*“

3) Verum timens ac tremens ad tuam, o Jesu condemnate, confugio misericordiam, de profundis clamans cum Propheta tuo regio: „*Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?*“*) „*Quis sustinebit*“, ex sacerdotibus praesertim, quibus „*judicium durissimum,*“ quia „*praesunt, fiet?*“**) —

*) Ps. 129, 3. — **) Sap. 6, 6.

Digitized by Google

Per Crucem et Passionem tuam, o Jesu, propitius esto mihi peccatori!
Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus crucem gravissimam omnium virium annisu suscipit. Haud parcit laboribus, haud parcit sudoribus, non parcit corpori, nec animae parcit.

2) Haec pro me et propter me patitur Jesus; sed quid ego pro Jesu et propter Jesum? Mihi et reliquis sacerdotibus praecipue dictum est a Paulo: „*Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis* (quae gratia communis est laicis), *sed etiam ut pro illo patiamini.*"**) In hac vita pati omnino necesse est; alii quidem patiuntur ut malefici, digna factis recipientes; alii ut belluae et jumenta, qui-

*) Is. 53, 7. — **) Phil. 1, 29.

Digitized by Google

STATIO II.



Jesus suscipit crucem.

Digitized by Google

Digitized by Google

bus non est intellectus; alii in mundi gratiam pro modica praebenda, quam sperant; alii ex tristi necessitate, omnes fere propter pugillum hordei et fragmen panis. Ego vero in ipsa infelicitate sum felix, quia communis patiendi necessitas mihi vertitur in gloriam, in lucrum, in gaudium, cogitanti, quod quidquid fere patior, — propter justitiam, propter officium aut ex officio aut circa officium, hoc est, pro Jesu et propter Jesum patior. Ergo vel in mediis vestris tribulationibus *benedicite sacerdotes Domini Domino*,*) quoniam nobis *donatum est*, non solum, ut in Jesum *credamus*, *sed etiam*, *ut pro Jesu et propter Jesum plus laicis patiamur.*

3) O Jesu, *propter te mortificamur tota die!***) *propter te:* o dulcis cogitatio, quae omnes mihi molestias in officio pastorali dulces reddit! *propter te mortificabor* imposterum *tota die*, tota hebdomade, totis mensibus, totis annis. *Propter te* in officio omnis labor levis, omnes molestiae suaves, omnes aerumnae amoenae, mors

*) Dan. 3, 84. — **) Rom. 8, 36. Ps. 43, 22.

Digitized by Google

ipsa in votis erit. „*In his omnibus superamus propter te, qui dilexisti nos.**)

Per Crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus prima vice sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium illis, viderunt me et moverunt capita sua.***)

℣. Adoro te etc.

1) Pergit cum Cruce Salvator majore animi quam virium corporalium constantia, quibus deficientibus doloroso lapsu in terram cadit.

2) Cadit Jesus sub cruce, ne cadam ego. Sacerdos enim etiam probissimus sibi dictum putet illud Apostoli: „*Qui se existimat stare, videat, ne cadat.*"***) Una mulier, *una ancilla ostiaria*†) prostravit Petrum, Sacerdotum Principem, quid de me fiet? Ut excidam gratia Dei, ut amittam jus ad regnum coelorum, ut faciam jacturam omnium meritorum in munere pastorali

---

*) Rom. 8, 37. — **) Ps. 108, 25. — ***) 1. Cor. 10, 12. — †) Joann. 18. 17.

Digitized by Google

collectorum, ut exuar fide, spe, charitate, ut cadam in peccata illa pudenda, quae *nominari**) prohibet Apostolus, non opus est vafro aliquo ex orco spiritu, qui me impetat, nec tentatore Satana, qui me largis alliciat promissis ostendensque omnia regna mundi dicat: „*Haec omnia tibi dabo*;**) non opus est, qui ultima minetur supplicia, tyranno, satis est una mulier, una ancilla.

3) Agnosco, o Jesu, nimiam fragilitatem et infirmitatem carnis meae, quae *semper concupiscit adversus spiritum.****) Ideo firmissime propono omne posthac vitandi alieni sexus consortium. Et quia sine tuo Numine nihil est in homine, per dolorosissimum tuum sub cruce lapsum te rogo, conforta me tua adjutrice gratia, ne me aliqua decipiat aut prosternat mulier. „*Pone me juxta te, et cujusvis* (mulieris) *manus pugnet contra me.*“†)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ephes. 5, 3. — **) Matth. 4, 9. — ***) Gal. 5, 17. — †) Job. 17, 3.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus, cruce onustus, sanguine perfusus, infami carnificum turba circumdatus, obviat matri suae afflictissimae. Et quamvis aegre recedat a matre plus omnibus in mundo dilecta, pergit tamen ad montem Calvariae, tanquam Sacerdos aeternus secundum ordinem Melchisedech, se ipsum in ara crucis oblaturus et opus redemptionis humanae sibi a Patre impositum consummaturus.

2) Jesus nempe, Sacerdos ille magnus, immo maximus, in sua passione non respexit carnem aut sanguinem, immo nec ipsam Matrem, alioquin sibi dilectissimam, vere assimilatus sacerdoti illi Melchisedech, qui, teste Apostolo, fuit „*sine patre, sine matre, sine genealogia.*"**) Quid aliud docet hoc suo exemplo Jesus, Sacerdos

*) Job. 16, 17. — **) Hebr. 7, 3.

Digitized by Google

summus, quam ut sacerdotes sui „*omnem erga fratres, nepotes, cognatos, immo et ipsos parentes humanum carnis affectum, qui multorum malorum in ecclesia Dei seminarium est, penitus deponant.*"*) Ego vero, an hunc affectum, nepotismum et curam cognationis deposui? „*Profecto nec in domo Dei sacerdos aut levita eligitur, nisi dixerit patri et matri:* „*Nescio vos.*"**)

3) O Jesu! „*quomodo te inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minime es inventus*",†) qui in passione tua nec propriam respexisti Matrem? Exstingue, o Jesu, in corde meo omnem erga cognatos humanum carnis affectum, ut his abnegatis juxta vocationem meam tibi soli liberius valeam servire, et cum servis bonis et fidelibus aliquando „*intrare in aeternum gaudium tuum.*"††]

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Trid. sess. 25. c. 1. de Reform. — **) Petrus Bles. †) Bernard. in Luc. 2. — ††] Matth. 25, 23.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.**]

℣. Adoro te etc.

1) Cum Christus Dominus lento gradu magis reperet, quam incederet, onustus pondere crucis, lictores „*invenerunt hominem Cyrenaeum, Simonem nomine, venientem de villa.*"**] Huic reluctanti imposuerunt crucem portare post Jesum.

2) O Simon, quantum tibi invideo hanc crucem! Noli reluctari, noli erubescere! haec crux tibi imposita est splendidior cunctis astris, sanctior universis, quae sola fuit digna portare talentum mundi. Haec crux labarum est, quod omnes Deo militantes sequuntur. Haec crux est clavis, qua aperiendae sunt portae coelorum. Haec crux est gladius, quo jugulandus daemon. Amen dico tibi, quoniam nec Salomon in omni gloria sua tam est conspicuus majestate, dignitate, honore,

---

*] Ps. 68, 21. — **] Marc. 15, 21.

Digitized by Google

uti tu cruce tua, quam gestas post Jesum. At quid extollo gloriam illius Cyrenaei, crucem Jesu portantis? Longe major est gloria sacerdotis, qui a saeculi pompa ad humilem crucis sequelam se contulit. Nec Salomon in omni gloria sua tam est conspicuus majestate et gloria, ut sacerdos cruce sua, quam tollit sequens Sacerdotem summum Jesum. Ergo

3) „*Absit mihi*", posthac „*gloriari, nisi in cruce*"*) tua, o Jesu! Qualis mihi et omnibus sacerdotibus sub cruce tua militantibus erit gloria! Quis plausus, quantus triumphus, quando tremente terra, fulminante cœlo, frementibus laicis improbis crucis et sacerdotum inimicis, clangente novissima tuba, crux tua apparebit in nubibus! O crux pretiosa, jam nunc te saluto verbis illis Ecclesiae: „*Ave, spes unica, omnes sacerdotes illumina, piis adauge gratiam, reisque* (quos inter ego sum) *dele crimina!*"

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Gal 6, 14

Digitized by Google

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus et despectus, non est species ei neque decor.**)

℣. Adoro te etc.

1) Veronica intuita faciem Jesu patientis vulneribus, plagis, sanguine, sudore indignissime maculatam, sudarium ad abstergendam faciem pia ex commiseratione offert.

2) Quam felicem me reputassem, si ipsemet prorsus adfuissem, mihique faciem sacrosanctam Christi ad montem Calvariae pergentis videre licuisset: numquid illam minime injuriassem, aut cum Judaeis indigne tractassem, sed potius cum pia Veronica omnem abstergendi maculas conatum adhibuissem? Sed quid opus est, optare illam, qua actu fruor, felicitatem? Hanc ipsissimam faciem adorandam Christi, (sub speciebus quidem Eucharisticis latentem) quotidie in ara praesentem habeo, sub sacri celebratione manibus tango,

---

*) Is. 53, 3.

Digitized by Google

teneo, tracto, utinam non adeo indigne, luride et irreverenter, ut dici mihi saepe deberet, quod ejusmodi alteri lurido sacerdoti ad aram operanti magnus ille Avila in aurem dixit: „*Vir bone! reverentius tracta, quem manibus tenes; est enim filius magni Regis.*“

3) O Jesu! cujus faciem sacrosanctam sub speciebus Eucharisticis vere praesentem credo: ignosce omnes irreverentias meas, quas in faciem tuam sanctissimam sub sacri celebratione hactenus commisi. Reverentius hosthac te tractabo: „*filius enim magni Regis es.*“ Beata hora, qua iterum sacris altaribus tuis astabo et in cor meum suscipiam te, „*gustabo et videbo, quam suavis sit spiritus tuus!*“†) Illum, quaeso, in corde meo charitatis ignem accende, quo b. Veronica sudarium offerens, inclytus Martyr et sacerdos tuus Johannes Nep. omnesque sancti Sacerdotes tua peragentes mysteria flagrabant. O Jesu, cujus faciem „velatam nunc aspicio, fiat id, quod

†) Ps. 33, 9.

Digitized by Google

tam sitio, ut te revelata cernens facie visu sim beatus tuae gloriae."*)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus sub cruce lapsus.

Ant. *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.***)

℣. Adoro te etc.

1) Ad portam judiciariam, quae ducit ad montem Calvariae, Jesus viribus destitutus iterum dolorosissimo lapsu in terram corruit.

2) Cadit denuo Jesus et sub pedibus lictorum jacet vere „*opprobrium hominum et abjectio plebis.*"***) Adeo se humiliavit Deus homo, Sacerdos ille summus, Pontifex magnus, ut sua humilitate meam

---

*) Rythmus s. Thomae Aquinatis. — **) Ps. 21, 7. — ***) Ps. cit.

Digitized by Google

superbiam, meum fastum et honoris proprii ambitionem confundat. „*Dilatare fimbriam vestimentorum cum Pharisaeis*, *amare primos recubitus in coenis*",*) ambire praecedentiam ubique, quomodo haec cum humilitate Jesu conveniunt? Estne conveniens, Deum humiliari, me vero superbire? Estne conveniens, Deum sub pedibus scurrarum et carnificum pronum jacere, me vero erecto supercilio gradi super capita aliorum etc.?

3) Non est conveniens, o Jesu humillime! detestor peccata superbiae meae. Discam a te, Sacerdote summo, quia vere es „*humilis corde.*"**) Humilitatem, quam docuisti non tantum verbo, sed et exemplo, praecipue in Passione tua, deinceps sectabor in cogitationibus, verbis et operibus meis. Certus sum enim, quia „*superbis resistis*, *humilibus autem das gratiam.*"***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Matth. 23, 5. 6. — **) Matth. 11, 29. — ***) Jac. 4, 6.

Digitized by Google

STATIO VIII.

Piae mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.**)

℣. Adoro te etc.

1) Piae mulieres quaedam secutae Dominum Jesum in via ad montem Calvariae et videntes, quam crudeliter tractaretur a Judaeis, non poterant se continere a lacrymis. Has alloquitur Jesus: „*Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros*"**)

2) Audire mihi videor iisdem fere verbis nos sacerdotes alloquentem Jesum: „*Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete*" et super peccata vestra, quae meae sunt causa passionis et mortis. Si ego sacerdos unum tantum illudque minimum commisissem peccatum, tanto ob illud dolore cor meum commoveri deberet, ut prae magnitudine doloris me oporteret tundere pectus, evellere capillos, laniare

---

*) Thren. 1, 12. — **) Luc. 23, 28.

Digitized by Google

genas, indui sacco, conspergi pulvere, jacere in cinere, rugire a gemitu, implere totum aërem querulis lamentis, lacrymarum profundere fontes. Verum ubi jam meus dolor? ubi lacrymae post scelera numero plurima, gravitate maxima? ubi post tot poenitenda poenitentia? immo totus effundor in laetitiam, in recreationes, in vanitates et nugas mundanas, studeo exhauriendis calicibus, per noctem volutor inter plumas, per diem ambulo inter rosas, duco in bonis dies et noctes, qui per dies et noctes super peccata mea cum piis mulieribus flere deberem.

3) O Jesu, „*quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte*"*) super peccata mea, propter quae tanta in Passione tua pertulisti! O una lacrymis digna causa! peccavi sacerdos! ingemisco tanquam reus, culpa rubet vultus meus, supplicanti parce Deus!

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Jer. 9, 1.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Longior erat crucis via; mille trecenti unus super viginti passus a Praetorio Pilati usque ad montem Calvariae conficiendi erant. Viribus proinde deficientibus Jesus tertia vice sub pondere crucis in terram corruit.

2) Si in terra jacens Salvator me sacerdotem tunc praesentem habuisset, forte me his aut similibus verbis fuisset allocutus: „Vide, fili, gravitatem peccati tui, quod me toties in terram prosternit et affligit.“ „*Si inimicus meus maledixisset mihi et afflixisset me, sustinuissem utique; tu vero, homo unanimis, amicus*“, **) commen-

---

*) Is. 53, 5. — **) Ps. 54, 13.

Digitized by Google

salis meus, a me prae mille aliis in statu laicali relictis in sacerdotem electus (non enim tu elegisti me, sed ego elegi te), tu, „*qui mecum dulces capiebas cibos*",*) affligis me in terra prostratum et addis afflictionem afflicto, tu velut alter Judas post buccellam corporis mei intinctam sanguine meo reserasti cor tuum Satanae, mihi vero clausisti. *Quid est*, *quod tu* „*dilectus meus*" *feristi scelera multa***) in domo mea, in Ecclesia, in Altari, in loco sancto? O perfidiam!

3) O Jesu! peccavi cum Juda, sed non despero cum Juda, quia „*misericordia Tua magna est super me*",***) et major est bonitas tua, quam iniquitas mea. Hac spe plenus et corde totus contritus venio ad te sub cruce prostratum, obsecrans verbis Ecclesiae: „*Quaerens me sedisti lassus*, *redemisti crucem passus*, *tantus labor non sit cassus*."

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. cit. — **) Jer. 11, 15. — ***) Ps. 85, 13.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis usque ad verticem capitis sanitas non est in eo, sed vulnus, livor et plaga tumens.**)

℣. Adoro te etc.

1) In more positum habebant Judaei, ut malefactores nudos ac vestibus exutos crucifigerent, ideo Jesum utut innocentissimum ante crucifixionem vestibus spoliant.

2) Voluit nempe Jesus, licet ditissimi Dei filius, sicut in paupertate vixit, sic et in extrema paupertate, omnibus, etiam propriis vestibus spoliatus, mori, nec filum moriens retinere, nudus ex hoc mundo abire. Sic nudus nec filum sibi retinens propediem moriturus summus Sacerdos Jesus mihi et omnibus sacerdotibus tacite inculcat illam sententiam, jam prius a se prolatam: „*Qui non renuntiat* (saltem in affectu) *omnibus, non potest meus esse discipulus.*"**) Ergo si volo esse disci-

---

*) Is. 1, 6. — **) Luc. 14, 33.

Digitized by Google

pulus Christi, relinquenda saltem in affectu mihi sunt omnia. Veniet profecto dies mortis, in qua me relinquent omnia, quae nunc ipsemet non relinquo. „*Et quae paravi, cujus erunt*"*) post mortem? divites cistae, superba supellex, pinguis culina, plena horrea, hinnientia, mugientia, balantia, grunientia stabula etc., haec omnia, cujus erunt post mortem? nec filum de omnibus retinere licebit. Immo, cujus fuerunt haec omnia? an pauperis discipuli Christi? an divitis epulonis? — Siccine sequor vestigia Jesu, Sacerdotis summi, qui nudus mori, moriens etiam propriis vestibus spoliari, nec filum retinere voluit?

3) O Jesu, tuam hominibus abjectam, sed Angelis gloriosam nuditatem ex animo amplector! verte mihi omnia terrena et temporalia in amaritudinem, omnia mundana in contemptum et oblivionem, ut omnibus saltem in affectu relictis nudus te nudum sequar, et tandem in coelo consequar, ubi me vesties „*stola gloriae.*"**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Luc. 12, 20. — **) Eccl. 15, 5.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas et pedes meos et dinumeraverunt omnia ossa mea.**)

℣. Adoro te etc.

1) Christus violenta rabie in crucem agitur, et eidem repetitis clavorum ictibus affigitur. Tacet nihilominus et patitur patienter, „*velut agnus coram tondente se obmutescit, nec aperit os suum.*“**)

2) Tota sacerdotis vita, curae animarum expositi, quid est aliud, quam vix non continua crucifixio? „Cura animarum“, dicit nonnemo, „est prima tonsura ad martyrium“, dicam ego, „cura animarum est prima tonsura ad crucifixionem“, ad adversa quotidiana, ad incommoda innumera sustinenda. Dolorem in morali hac crucifixione augent repetiti clavorum ictus, contumeliae, calum-

---

*) Ps. 21, 17. 18. — **) Is. 53, 7.

Digitized by Google

niae, persecutiones, oblocutiones, murmurationes, sinistrae iniquae taxationes etc. O utinam ad exemplum Christi, Sacerdotis summi, hanc crucifixionem sustinuissem patienter, velut agnus obmutuissem nec aperuissem os meum! Quid cogitas, anima ignava? Quid cogitas? Sine cruce vivere non est necesse, multo minus commode vivere. „*Hoc unum est necessarium*",*) ut crucifixionem in cura animarum satis dolorosam patiens et obmutescens sustineam, sicque vere dicere potero cum Apostolo: „*Christo confixus sum cruci.*"**)

3) Ah, tanta, o Jesu, passus es pro me, pro animabus mihi commissis, et ego tantilla pati nolim pro te, pro tuo honore, pro mea meorumque subditorum salute! Tibi, o Jesu, vivens et moriens „*configar cruci!*" tuae „*cruci confixus*" vivam, tuae „*cruci confixus*" moriar.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Luc. 10, 42. — **) Gal. 2, 19.

Digitized by Google

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus Christus, aeterni Patris filius incarnatus, post trium horarum crudele martyrium pro salute omnium hominum in patibulo crucis moritur.

2) Dat animam suam pro ovibus suis moriens in cruce bonus Pastor. De hac cruce audio divinum Pastorem me alloquentem illis verbis: „*Amas me? pasce oves meas.*"**) Ita Petrum olim, ita me hodie Christus in cruce moriens alloquitur. Ac si diceret: „Si vere amas me, o sacerdos! ostende amorem opere, et pasce oves meas, magno sanguinis mei pretio emptas tibique traditas. Amas me? pasce." O utinam Christo interroganti cum Petro respondere possem: „*Tu scis, quia amo te.*" At proh dolor! fateri cogor: „Tu scis, quia non amo te." Nam si amarem te, et

*) Phil. 2, 8. — **) Joh. 21, 17.

oves tuas mihi traditas amarem easque diligentius pascerem. Quomodo pasco oves Christi? Pasco exemplo, sed saepe venenato. Pasco verbo, sed saepe arido et exsucco. Pasco sacramentis, sed obiter saepe et impatienter administratis. Quomodo pasco oves Christi, si conversus ad recreationes, ad negotia saecularia, ad nugas, ad vanitates et insanias falsas, curam ovium negligo? Quomodo pasco, si otio deditus, pastoris functiones laboriosas, in quibus nec lucrum nec splendor est, transfero in vicarium sacerdotem alienum, cujus non sunt oves propriae? Quomodo pasco, si non oves, sed meipsum pasco, avidior lanae, quam ovium salutis, — mercenario, quam pastori similior? Qualis pastor sum, si vix lupo sim melior, et hirco par? O pudor! o probrum pastoris!

3) Fateri cogor, o Jesu! quia hactenus nec Te, nec oves tuas vere amavi. Tu vero amasti me, et amore mei pendes moriens in cruce. Ergo amori amorem reddam. Amorem, quem tibi in cruce morienti non possum impendere, impendam pascendis ovibus tuis adeo dilectis, quarum partem tradidisti mihi, nec unicam

Digitized by Google

ex eis negligam, ut scias, quia vere amo te, qui prior amasti me „*usque ad mortem, mortem autem crucis.*"*)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Corpus Jesu deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.***)

℣. Adoro te etc.

1) Josephus et Nicodemus introierunt audacter ad Pilatum et petierunt corpus Jesu, quod obtenta facultate deposuerunt de cruce, et in sinu Mariae collocarunt.

2) Paulo ante mortem suam tradiderat Jesus Mariae Johannem in filium: „*Ecce filius tuus!*"†) Johannem pro Jesu, servum pro Domino, discipulum pro Magistro, nepotem pro filio, filium Zebedaei pro filio Dei. Vere hic sermo erat „*penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus.*"††) Extrema hac in afflictione haec erat consolatio Matris dolorosissimae, quod corpus

---

*) Phil. 2, 8. — **) Luc. 2, 35. — †) Joh. 19, 26. — ††) Hebr. 4, 12.

Digitized by Google

filii sui dilectissimi de cruce depositum in sinu suo fuerit collocatum. Maria nempe virgo est sponsa illa amantissima exclamans: „*Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*" *) Tu quoque, si sapis, monet me divus Bernardus, imitabere sponsae prudentiam, atque hunc myrrhae fasciculum de principali cordis tui nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quae pro te pertulit, semper in memoria retinens et assidua meditatione revolvens, ut possis dicere et tu: „*Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*"

3) O Jesu, *fasciculus myrrhae dilectus mihi!* tu solus inter ubera mea, in corde meo, in intellectu meo, in memoria mea, in voluntate mea, in tota anima mea commoraberis. Myrrha amaritudinem habet; igitur in amaritudine animae meae recordabor amaritudinem crucis, passionis et mortis tuae.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Cant. 1, 12.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Josephus Arimathaeus et Nicodemus maxima cum charitate et reverentia exanime Christi corpus sepulturae mandarunt, et pretiosis aromatibus, myrrha et aloë condiverunt.**)

2) Sine dubio gratissimum hoc fuit Christo Domino obsequium. Si enim tantopere olim Deo placuit obsequium Tobiae senioris, mortuos clam nocte sepelientis: †) quanto magis Christo placuisse credendum est illud obsequium Arimathaei et Nicodemi, qui corpus ejus emortuum myrrha, aloë aliisque pretiosis aromatibus condiverunt, et tam honorificae sepulturae mandarunt?

3) O Jesu, qui vivens toties ipsemet dixisti: „*Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*“, ††) — obsequium ergo,

---

*) Is. 11, 10. — **) Jo. 19, 39. — †) Tob. 12, 12. — ††) Matth. 25, 40.

Digitized by Google

quod tuo sanctissimo corpori sepeliendo non possum impendere, minimis tuis, parochianis meis defunctis impendam, eosdem debitis cum ceremoniis et sincero miserationis affectu ad sepulchrum deducam, eorumque sepulturam myrrha et aloë, oratione nempe et sacrificio Missae, sedulo et devote condiam, certus, me tibi fecisse, quod fecero minimis tuis, defunctis parochianis meis. O Jesu! eorum animas erue a porta inferi et dona eis requiem sempiternam.

Per Crucem etc. Pater noster etc.



Digitized by Google

Praxis secunda.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Pilatus auditis tot contra Jesum falsis accusationibus eum seorsum ad se accersit eique summi momenti quaestionem proponit: „*Gens tua et Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti?*" **)

2) Pilatus interrogat Jesum: „*Quid fecisti?*" Audi, Pilate, quid fecerit Jesus! *In principio creavit coelum et terram, formavit hominem de limo terrae, et inspiravit in eum spiraculum vitae.* ***) „*Omnia, quaecunque voluit, fecit in coelo et in terra.*" †)

---

*) Ps. 93, 21. — **) Jo. 18, 35. — ***) Gen. 1 et 2. — †) Ps. 113, 11.

Digitized by Google

*Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.**) *Sunt tam multa, quae fecit Jesus, ut, si scribantur singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.***) Haec, o Pilate! fecit Jesus. Tu quidem tanquam Judex petis a Jesu: „*Quid fecisti?*“ sed erit aliquando tempus, quando ipse sedebit judex a dextris virtutis Dei; tunc a te, et a me, utroque ejusdem sceleris reo, petet: „*Quid fecisti?*“ Nullum est fulmen, quod ita perstringat oculos, nulla vox tam terribilis, quae ita percellat mentes, nullum tonitru, quod ita feriat aures, ac illa quaestio a judice divino olim mihi proponenda: „*Quid fecisti?*“

3) *Quid fecisti?* Sic interrogabis me, o Jesu, quando judicaturus venies! Ah, me pudet, coram te dicere, quod non puduit coram te facere. Feci fere ea omnia, quae tu me facere prohibuisti. Feci multa mala, parum boni, et hoc ipsum parum bene. — *Quid fecisti?* O dura quaestio! *quid non fecisti?* o durissima quaestio! quid fecerunt tui et quid non fecerunt?

---

*) Marc. 7, 37. — **) Jo. 21, 25.

Digitized by Google

O quaestio, cui respondere etiam Apostolus metuat, quamvis nihil conscius sibi!*) Sed commissa (et omissa) mea pavesco, et ante te erubesco; cum veneris judicare, noli me condemnare!**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.****)

℣. Adoro te etc.

1) Condemnatus ad mortem filius Dei egreditur a civitate Hierosolyma ad montem Calvariae. Praecedit tubicen, qui clangentis buccinae maesto murmure totam foribus evocat civitatem.

Sequuntur justitiae Ministri, milites, lictores, hoc est, injustitiae satellites, duo insignes latrones Barabba nequiores, tandem Jesus crucem bajulans, morte ignominiosissima moriturus.

2) Ubi nunc sunt discipuli, cum quibus heri Jesus tanto desiderio manduca-

---

*) I. Cor. 4. — **) Eccl. in brev. — ***) Is. 53, 7.

Digitized by Google

vit Pascha? ubi nunc illi, qui sex diebus paulo ante tanto civitatis congratulantis plausu, festiva acclamatione, palmarum ac substratarum vestium honore et pompa Jesum exceperunt? ubi sunt? *Tunc relicto eo fugerunt omnes,**) omnes Jesum morientem reliquerunt. Quid vero de me fiet in novissima mortis hora? Tunc, quando ero in extrema necessitate, tunc, quando sudabit frons, pallescet vultus, frangentur oculi, frigebunt manus, rigebunt pedes; tunc, quando angustiae mihi erunt undique; tunc, quando maxime indigebo solatio, auxilio, ope et opera mundi: tunc morientem omnes fugient et relinquent. Relinquent parochiani, quibus praefui, relinquent consanguinei, amici et domestici, quibus benefeci. Relinquent sacerdotes vicini et confratres, quos dilexi. Me relinquent omnes homines, quos novi. In morte me relinquet ecclesia, quam rexi, cathedra, in qua praedicavi, domus, quam incolui, cubiculum, in quo studui. In morte me relinquent reditus, quos percepi, libri, quos legi, vestes, quas in-

---

*) Matth. 26, 56.

dui etc. Cum ergo me morientem relinquet mundus totus, ego prior relinquo mundum. Vale munde immunde!

3) Salve, Jesu crucifixe, cujus effigiem moriens in manibus tenebo! tu solus tunc eris solatium et refugium meum. Tu solus me non relinques in morte, si te non relinquam in vita. O Jesu, non te deseram peccando, ne tu me deseras gratia tua in morte. *Ne derelinquas me, Domine, Deus meus, ne discesseris a me!* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus prima vice sub cruce cadit.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Christus viribus fractus, vulneribus saucius, cruce onustus, funibus vinctus potius reperet, quam incederet, tandem dolorosissimo lapsu in terram corruit.

---

*) Ps. 37, 22. — **) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

STATIO III.



Jesus prima vice sub cruce labitur.

Digitized by Google

Digitized by Google

2) De Christo sub cruce lapso impletur vaticinium illud Simeonis: „*Positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum.*“*) Tanta licet Christus Dominus fuerit passus pro omnibus, ejus tamen passio non omnibus erit in resurrectionem, sed, proh dolor, plurimis (utinam non etiam sacerdotibus) in ruinam et perditionem, illis nimirum, qui peccata peccatis cumulare non cessant, et stolida procrastinatione poenitentiae fructum passionis impediunt pretiumque divini sanguinis evacuant. O miseri, et per omnem aeternitatem futuri miserrimi, quorum tam copiosa redemptio redemptorum erit perditio, et ipsa Christi passio illorum, pro quibus est passus, condemnatio. Vae mihi, si inter hos et ego sum! Inter hos si sum, frustra pro me Christus de coelo descendit, frustra pro me in stabulo natus, in praesepio reclinatus fuit. Christus frustra per triginta tres annos in fame et siti, in frigore et aestu, in sudore et sanguine me ovem perditam quaesivit; frustra tot ejus opprobria, alapae, sputa,

*) Luc. 2, 34.

spinae, flagella, clavi, crux, vita, mors, frustra omnia. Melius esset, me non fuisse natum, quam Christum frustra pro me passum.

3) O Jesu, propter peccata mea afflictissime, *qui non vis mortem peccatoris* (testis est crux, sub qua prostratus jaces), *sed ut convertatur et vivat:**) hac spe plenus hoc momento convertor et redeo ad te. Redeo ad te per poenitentiam, qui a te recessi per malitiam. Redeo ad te per viam arctam, qui a te recessi per viam latam. Redeo ad te per pudicitiam, qui a te recessi per luxuriam. Redeo ad te per temperantiam, qui a te recessi per ebrietatem. Sic redeunti mihi tua passio et dolorosissimus tuus sub cruce lapsus non erit in ruinam, sed in resurrectionem et gloriam sempiternam.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat Matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.***)

℣. Adoro te etc.

---

*) Ezech. 33, 11. — **) Job 16, 17.

Digitized by Google

STATIO IV.



Jesus obviat matri.

Digitized by Google

Digitized by Google

1) Postquam Jesus prima vice sub cruce lapsus et sexaginta circiter passus progressus fuerat, occurrebat illi sanctissima ejus Mater Maria cum dilecto discipulo Joanne, ob passionem et mortem filii sui moestissima et afflictissima.

2) Nimirum ubicunque Jesus, ibi et Maria. Ubi filius, ibi mater fidelis filio usque ad mortem, mortem autem crucis. Maria cum Jesu in Bethlehem, Maria cum Jesu in Jerusalem, Maria cum Jesu, dum nascitur, Maria cum Jesu, dum moritur, Maria cum Jesu in via ad montem Calvariae, Maria cum Jesu juxta crucem. Non poterat Maria a Jesu separari societate, quae cum eo maxima conjungebatur charitate. Per milites, hastas et enses irruit, jam ante Paulum secum repetens: „*Quis me separabit a charitate Christi Jesu, filii mei?*" *) O utinam et ego tam arcto cum Jesu essem conjunctus vinculo, ut nihil amplius ab ejusdem me separaret charitate! Maledictae tot illae horae, in quibus peccatum toties me a

*) Rom. 8, 35.

Digitized by Google

charitate Jesu Christi separavit! Verum nunc audacter cum Paulo provoco omnes creaturas.

3) Quis, o Jesu, me imposterum separabit a charitate tua? quis? non timor mortis praematurae, quia tu es vita mea. Non amor mundi, quia ipsum sperno, et omnes ejus pompas. Non voluptates carnis breves, non opes caducae, non honores falsi, non umbrae umbrarum, non nugae nugarum, non tribulatio, non persecutio, non gladius, neque creatura alia poterit me separare a charitate tua, non poterit in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui etc.**)

℣. Adoro te etc.

---

*) Ps. 68, 21.

Digitized by Google

1) Quia Jesus ex defectu virium ponderosam nimis crucem portare non poterat, ideo milites angariaverunt Simonem Cyrenaeum, qui vel invitus et coactus crucem post Jesum et cum Jesu portavit.

2) Quis similior huic Simoni, quam ego? ego, qui invitus crucem post Jesum porto, et crucem omnem aversor, crucem laborum, crucem molestiarum, crucem difficultatum in officio parochiali occurrentium, crucem injuriarum, crucem sinistrae valetudinis etc.; at posthac promptior ero crucis bajulus. In omnibus laboribus, molestiis, injuriis, adversitatibus haec menti obversabitur cogitatio: Non solus sum, Jesus mecum patitur, mecum portat crucem. „*Quid enim suavius, quid jucundius, quam me Christi socium effici atque ipsius causa perpeti?*"*)

3) O Jesu crucifixe! tecum laboro, tecum sudo, tecum patior, tecum fero

*) S. Chrys.

Digitized by Google

crucem; nolo esse Simon Cyrenaeus refugiens crucem, nolo sub te spinoso capite esse membrum delicatum.*)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica porrigit sudarium.

Ant. *Quasi absconditus vultus etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Pia Veronica, ubi vidit faciem Christi Domini sputis et sanguine foede commaculatam, velum capiti suo detraxit et Christo patienti porrexit, quo maculas abstersit et imaginem suae faciei dignanter impressit.

2) Quis igitur sacrosanctam Jesu faciem adeo ignominiose foedavit? Ego sum

*) S. Bernard. — **) Is. 53, 3.

Digitized by Google

ille vir, meae nimis saeculares et mundanae conversationes, vanitates, hyperbolae et nugae in loquendo laicis usitatae, quae sunt in ore sacerdotis blasphemiae,*) tot excessus in cibo et potu, motus et gestus immodesti sacerdotem dedecentes etc.; haec et centena alia vix non quotidiana peccata sunt illae maculae, quibus faciem Jesu dire foedatam conspicio. Sed

3) O quam poenitet me de omnibus! mores meos posthac componam, sacerdote dignos induam. „*Modestia mea nota erit hominibus omnibus*“,**) laicis mihi subditis praesertim, quibus forte hactenus saepe fui scandalo. Hoc unum deprecor a te, o Jesu, cum regio propheta: „*Averte faciem tuam* (o quam dolorose vulneratam!) *a peccatis meis*, *et omnes iniquitates meas dele.*“ *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, *misererc mei secundum eloquium tuum.****)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) S. Bernard. — **) Phil. 4, 5. — †) Ps. 50, 11. — ††) Ps. 118, 58.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Ad portam judiciariam, quae ducebat ad montem Calvariae, Jesus iterum sub cruce ponderosa viribus destituitur, et dolorosissimo lapsu secunda jam vice in terram cadit.

2) Cadit Jesus, ut surgat peccator. Non surget Jesus a terra, nisi surgam ego ex peccatorum luto, in quo hactenus immersus jacui. Eheu, qualis sacerdos sum, si sacerdos peccator sum! monstrum sum, quo turpius nullum Africa genuit. Sacerdos in luto peccatorum haerens et in statu vel unius peccati gravis constitutus, quidquid agit, agere solet sine fructu, quia peccatum suffocat spiritum, sine quo languet oratio, languet concio, conversatio et sacramentorum administratio, totus sacerdos languet. Quis numeret

*) Ps. 21, 7.

Digitized by Google

innumera scandala et sacrilegia, quibus sacerdos peccator involvitur? Anima mea, ingredere te! et si in tali luctuosissimo statu constitutam te nosti, quantocius per poenitentiam surge.

3) Surgam, o Jesu! quia te jacentem sub cruce video. Surgam poenitendo, qui toties lapsus sum delinquendo. Surgens sero quidem sed serio, te sub cruce jacentem erigam et refocillabo. Mihi surgenti, o Jesu, porrige dexteram! *Adjuva me, et salvus ero!* *)

Per Crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Devotae Jesum in crucis itinere plangunt mulieres. At ipse ad eas conversus ait: „*Nolite flere super me, sed*

*) Ps. 118, 117. — **) Thren. 1, 12.

Digitized by Google

super vos ipsas flete etc. Quia si in ligno viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?"*)

2) Lignum viride quis? nisi Jesus crucem bajulans, sacerdos summus, qui dedit fructum in tempore suo, fructum boni exempli, fructum doctrinae evangelicae, *„coepit Jesus facere et docere."***) Lignum aridum, exsuccum quis? nisi sacerdotes illi, qui orant absque succo devotionis, qui praedicant suis in templo absque succo doctrinae ob defectum studii et praeparationis, qui clerice vestiuntur et laice vivunt, absque succo boni exempli; *dicunt enim, et non faciunt.****) Inter hos sacerdotes aridos si et ego sum, quid fiet de me? veluti *lignum aridum, quod exciditur et in ignem mittitur*,†) excidi me jubebit divinus paterfamilias, *et mitti in ignem illum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus.*††) Nec enim ego ob characterem ordinis sacerdotalis ab igne infernali exceptus sum. Ah! memini, me saepius audivisse: *„Inferni pavimentum esse tonsuras sacerdotum."*†††) Memini, me

---

*) Luc. 23, 28. — **) Act. 1, 1. — ***) Matth. 23, 3. — †) Luc. 3, 9. — ††) Matth. 25, 41. — †††) S. Chrysost.

Digitized by Google

legisse illud aurei Chrysostomi: „*Non puto, inter sacerdotes esse multos, qui salvi fiunt, sed multo plures, qui pereunt.*“ O miseri et per omnem aeternitatem futuri miserrimi sacerdotes, quos una cum mulieribus Jesus crucem bajulans alloquitur: „*Super vos ipsos flete*“, veluti ligna arida arsuri in aeterno igne.

3) O Jesu! ignem aeternum timeo, quia lignum sum aridum valde. Sed per passionem tuam te rogo: „Dimitte me, Domine, et hoc anno; virescam, dignos poenitentiae fructus feram. Preces quidem meae non dignae sunt, sed tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne.“

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Gravissimum virium deliquium cum iterum Jesus esset passus, sub immani

---

*) Is. 53, 5.

Digitized by Google

crucis pondere in terram collapsus est, et ex violenta corporis collisione copioso sanguine dimanavit.

2) In hac specie cum Christus olim B. Catharinae Genuensi apparuisset, ipsa hoc spectaculo summopere commota exclamavit: „*O Jesu, non amplius peccare! O Jesu, non amplius peccare!*" Mox confessione generali praeterita vitae delicta expians tantum de iis horrorem concepit, ut sanctitatis miraculum evaderet. Iisdem verbis B. Catharinae prae dolore et compassione exclamo, Jesum sub cruce lapsum aspiciens:

3) *O Jesu, non amplius peccare!* Peccavi super numerum arenae maris, et multiplicata sunt peccata mea super capillos mei capitis; non sum dignus, videre altitudinem coeli prae multitudine iniquitatum mearum, quae unica amarissimae passionis tuae sunt causa. „*Vulneratus es propter iniquitates meas, attritus es propter scelera mea*":*) o Jesu, amplius non peccare in aeternum!

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Is. 53, 5.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Nullum in Christo erat membrum, quod non perceperat suum tormentum, unum adhuc supererat membrum a cruciatu immune, os nempe; hoc quoque ut esset cruciatuum particeps, *dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* **)

2) Et ecce! extendit Jesus manum, ut apprehendat poculum sibi porrectum. Prius tamen ad omnes, praecipue suos sacerdotes et commensales conversus quaerit pontifex ille magnus: „*Potestis bibere calicem, quem ego sum bibiturus?*" ***) Calicem nempe passionis, in quo vinum felle mistum, — hunc, et non alium calicem omnibus, praecipue sacerdotibus, Jesus propinat. Alium vero propinat calicem mundus, meretrix illa babylonica, mater fornicationum et abominationum terrae, *po-*

---

*) Is. 1, 6. — **) Matth. 27, 34. — ***) Matth. 20, 22.

Digitized by Google

culum aureum, *quod habet in manu sua*, *plenum abominatione.**) Ex hoc poculo bibitur vinum, *in quo est luxuria.***) Et tamen hic sacerdotum nonnemo misere deceptus exclamat: „*Sitio, da mihi bibere.*"***) Vix primariis labris gustavit, cum ecce! ut Jonathas clamat: *Gustans gustavi paululum* vini ex calice mundi, *et ecce morior!*****) O quam felicior sacerdos ille, qui bibit ex illo, quem Jesus propinat, calice passionis, in quo vinum felle mistum. O sane praeclarum calicem!

3) O Jesu, *hic calix tuus inebrians quam praeclarus est!*†) quia tu labiis tuis, sub quibus est *mel et lac*,††) omnem amaritudinem sustulisti, ideo ex calice tuo gustans gustabo paululum vini felle misti, quem bibendum dederunt tibi, et ecce vivam. Quia, *qui bibit ex calice isto, non sitiet in aeternum*,†††) sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Apoc. 17, 4. — **) Ephes. 5, 18. — ***) Jo. 4, 7. — ****) 1. Reg. 14, 43. — †) Ps. 22, 5. — ††) Cant. 4, 11. — †††) Jo. 4, 13.

Digitized by Google

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Summus Sacerdos et verus pontifex Jesus toto corpore nudus, lividus, lacerus, lacrymis, sudore et sanguine conspersus, inter saevientes ventorum turbines contremiscens, desiderio desiderans, se ipsum Deo patri offerre hostiam pro peccatis nostris, pronus inclinat se in aram crucis, manus pedesque clavis configendos ad nutum carnificum extendit.

2) Quanta fuisset mea felicitas, si adesse cruento huic sacrificio in monte Golgathaeo licuisset! Quanta devotionis teneritudine contemplatus fuissem sanctissimum corpus in cruce extensum, sanctissimum sanguinem ex vulneribus defluentem! Felicissimum me profecto credidissem. Sed nunc major est felicitas mea, quam desiderare possim. Adsto non semel tantum, sed quotidie tremendo illi sacri-

---

*) Ps. 21, 17. 18.

Digitized by Google

ficio, cui adstitisse in monte Golgathaeo optarem, Missam intelligo, de qua SS. Concilium Tridentinum: „Una eademque hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc obtulit in cruce, sola offerendi ratione diversa.“ O igitur me felicem sacerdotem, quotidie litantem illam hostiam, quae fons est bonorum et gratiarum inexhaustus! Sed quam infelix quoque sacerdos sum, si modicum hucusque ex tot sacrificiis celebratis fructum retuli! Quid enim hoc monstri, divitiarum spiritualium quotidie habere copiam, nec divitem fieri, intra decem, viginti, triginta annos octies, novies, decies mille sacrificia litasse, nec tamen hilo factum esse meliorem! Terrena adhuc sapere, peccatis sordescere, superbiae, avaritiae, iracundiae, luxuriae convelli febribus, in medio ignis divini frigescere, in consortio agni immaculati abire in bestiam!

3) O Deus! o Superi! o Angeli! quanta haec opprobria et scandala! Sacerdos ego sim Dei altissimi, agnum divinum quotidie offeram, et haedorum gregi foetido immixtus haeream? regalis sacerdotii sum-

Digitized by Google

ma dignitate insignitus Deum quotidie manibus meis tangam, et iis sacrilege abutar, easdemque ad impudicitiam extendam? o pudor! o horror! o dolor!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus Christus, Deus verus de Deo vero, propter nos homines et propter nostram salutem factus homo, hora a meridie tertia, crucifixus inter duos latrones, moritur.

2) Moritur Deus pro me homine, Dominus pro me servo, sanctus pro me peccatore. „*Christus mortuus est pro peccatis meis.*“ **)

3) O Jesu! mortuus es pro peccatis meis! mea peccata sunt causa tuae passionis, tuae causa occisionis! nunc ergo valete, laetitiae et gaudia mundana! claudere, o domus convivii! ibo ad domum luctus, hoc est, ad montem Calvariae,

*) Phil. 2, 8. — **) I. Cor. 15, 3.

Digitized by Google

ubi amor meus mortuus est. Valete, o strata deliciosa, in quibus ad multam diem obdormiscere solitus eram! *Lacrymis posthac stratum meum rigabo.**)

Marcescite rosae! crescite spinae! accede tristitia! irrue in me dolor sancte! tu esto mihi conviva in mensa, comes in itinere, dux in via, aperi oculos meos fletibus, cor gemitibus, fauces singultibus, pectus suspiriis, manus planctui, linguam ejulatui, quia, o Jesu, peccando auctor fui tuae necis, tuae causa occisionis! etc. *Ego interfeci Christum Domini!***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*†) — ℣. Adoro te etc.

1) Postquam Christus exspiravit in cruce, audacter introivit ad Pilatum Joseph Arimathaeus et petiit corpus Jesu; eo libenter annuente deposuit illud de cruce et in sinu Mariae collocavit.

---

*) Ps. 6, 7. — **) 2. Reg. 1, 16. — †) Luc. 2, 35.

Digitized by Google

2) Jesus in sinu Mariae, in sinu illius, quam paulo ante mortem suam non tantum Joanni, sed et mihi in matrem assignavit: „*Ecce mater tua*".*) O bona spes! terret me quidem mea tot peccatorum rea conscientia, sed assignata tali matre erigor in spem, usurpans illa Salomonis verba: „*Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*" **) Maria, mater Dei et hominis, mater rei et judicis, mater misericordiarum et miserorum. Si Maria est mater mea, ergo et Jesus est frater meus, et pater ejus pater meus, ergo et regnum ejus haereditas mea. Ergo illam diligam, quia est *mater pulchrae dilectionis.*†) Sum quidem miser, sed spero in eam, quae est mater misericordiae, indigeo quidem gratia, sed invoco eam, quae est mater gratiae.

3) O Maria, quae sub cruce me filium tantos inter dolores et angustias peperisti! jam non solum Jesus, qui in sinu tuo quiescit, est filius tuus, sed etiam ego, licet indignus, tuus sum filius: „*ecce filius tuus.*"††) Si filius tuus sum ego, jam

*) Jo. 19, 27. — **) Sap. 7, 11. — †) Eccl. 24, 24. — ††) Jo. 19, 26.

Digitized by Google

mater es mea, Jesus vero frater meus. Hoc unum obsecro, et salvus ero: „Monstra, te esse matrem! Tu vero, o Jesu, monstra, te esse fratrem!“

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Jesus sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.**) — ℣. Adoro te etc.

1) Aliorum defunctorum more corpus exanime Salvatoris, comitantibus et lugentibus Maria, Joanne, Nicodemo, Josepho et piis mulieribus, ad sepulchrum defertur.

2) Interim anima ejus victrix laetatur in limbo patrum. O quam longe aliter evenit post mortem luctuosissimam sacerdotis reprobi! Corpus ejus honorifice quidem sepelitur in templo, anima vero sepelitur in inferno. O infelices, et per omnem aeternitatem futurae infelicissimae sacerdotum damnatorum animae! ejulabunt, clamabunt et dicent montibus: „*Cadite super nos*“, et collibus: „*operite nos.*“ **]

---

*) Is. 11, 10. — **] Luc. 23, 30.

Ejulabunt, clamabunt: „*Cecidit corona capitis nostri, quia peccavimus.*“ *] Clamabunt: „*Cum in honore essemus, non intelleximus,*“ **] non intelleximus altitudinem status nostri, non intelleximus pretium potestatis nobis traditae, non intelleximus pretium animarum nobis commissarum etc. O! si cognovissemus et nos, et quidem in diebus vitae praeteritae, qui ad pacem nobis etc. At frustranea erunt omnia haec lamenta post mortem.

3) Nunc vero, o Jesu, labor meus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius et purgativus.†] *Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis*††] ad redimenda peccata, ad animam salvandam. *Ne perdas*, o Jesu, *cum impiis animam meam,*†††] et quam redemisti perditam, noli perdere redemptam!

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*] Thren. 5, 6. — **] Ps. 48, 13. — †] Thomas K. — ††] II. Cor. 6, 2. — †††] Ps. 25, 9.

Praxis tertia.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.* †]

℣. Adoro te etc.

1) Jesus stat judicandus ante tribunal Pilati, qui, licet hactenus multa pro ejusdem innocentia egerit, nihil tamen apud invidos Judaeos effecit. Itaque prolata contra omne fas iniquissima sententia Jesum condemnat ad supplicium crucis. „*Pilatus tradidit Jesum voluntati eorum, ut crucifigeretur.*“ ††]

2) Quid sceleratius, quam sic tradere Jesum! sed non unus est, qui Jesum tradidit, Pilatus; innumerus est numerus eorum, qui eum tradiderunt. Imprimis ego fui ejus traditor. Mea avaritia Jesum tradidit Judae, ut venderet. Mea

---

†] Ps. 93, 21. — ††] Luc. 23, 25.

Digitized by Google

effrons in vivendo licentia Jesum tradidit Judaeis, ut eum comprehenderent et ligarent. Mea invidia tradidit Jesum principibus sacerdotum, ut eum accusarent, mea iracundia tradidit Jesum ministro pontificis, ut daret ei alapam. Mea libido tradidit Jesum Pilato, ut eum flagellaret et condemnaret ad mortem. Mea superbia tradidit Jesum militibus, ut eum coronarent. Haec ego feci, et *necdum puteus* infernalis *urget super me os suum.*†]

3) O pater aeterne, qui, ut servum redimeres, filium iniquo judici Pilato tradidisti! ego sacerdos et christianus cum sim, longe pejorem me fateor ethnico et laico illo homine Pilato. Ah, quam pudet et poenitet me, toties peccasse, et filium tuum tradidisse! scio, coram tribunali tuo neminem adversari mihi posse, nisi solum et unicum peccatum. Igitur ex hac hora implacabili odio aversor peccatum omne, velut maximum, imo unicum in mundo malum. Parce, o pater, mihi servo, propter quem *non pepercisti filio.*††)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

†] Ps. 68, 16. — ††] Rom. 8, 32.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.* †]

℣. Adoro te etc.

1) Postquam Judaei petierunt a Pilato, Barabbam latronem dimitti, Jesum vero innocentissimum crucifigi, ducunt eundem funibus ligatum, pondere crucis oneratum, ad locum crucifixionis, Barabbas vero liber dimittitur.

2) Acerbo hic Judaeos sarcasmo perstringit s. Chrysostomus: „*Latrones petierunt latronem, Dominum autem crucifixerunt.*“ „*O iniquum judicium*“, exclamat s. Anselmus, „*bonus despicitur, malus praeponitur, justus punitur, et peccator liberatur. Agnus occiditur, et lupus acceptatur. Vita deseritur, et mors reservatur.*“ Sed quid hic Judaeos perstringo? idem et meum crimen est. Quoties pecco, toties Barabbam Christo praepono. Peccare propter temporale buccellum, ob honoris proprii umbram,

†] Is. 53, 7.

Digitized by Google

ob meram propriae voluntatis libidinem, ob spurcam, fluxam, vilem, poenitendam voluptatem, quam prius experior amissam, quam sentiam admissam, quae simul est et in ortu et in occasu, quae eodem momento, quo incipit, desinit, quae vix oritur, moritur: quid hoc est, nisi exemplo Judaeorum praeponere Barabbam Christo, Deo summo, infinito, inaestimabili bono, dum eligo eum potius offendere ejusque amicitia et gratia excidere, quam carere fucata illa futilique, quam in rebus creatis aucupor, voluptate? Nihil mihı ex rebus hujus mundi offertur tam vile, abjectum, sordidum, abominandum, quin illo oblato Jesum deseram et omnibus postponam.

3) Fateor, o Jesu, hoc feci; sed dimitte mihi, non enim scivi, quid feci. Nunc ubi te novi, *eligo abjectus esse in domo* tua,*) *omnia detrimentum facio et arbitror ut stercora, ut te lucrifaciam.***) *Praepono te regnis et sedibus*, spurcis carnis voluptatibus, mundanis illecebris, *et divitias nihil esse duco in comparatione tui.****)

*) Ps. 83, 11. — **) Phil. 3, 8. — ***) Sap. 7, 8.

Digitized by Google

O Jesu! tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, o Deus meus et omnia!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus intolerabili crucis pondere depressus in terram pronus labitur cum risu daemonum, joco lictorum, plausu Judaeorum.

2) In Christo sub cruce lapso sacerdotem in scelus grave lapsum considero. Quo altius fastigium sacerdotis, eo profundior ejusdem est lapsus. Sacerdote peccante ridet orcus, tristatur coelum, jocantur laici, scandalizantur subditi, a quibus propter scelus unius sacerdotis con-

---

*) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

temnuntur omnes, haud alio quam poparum nomine compellati. Non vivimus tempore Constantini, regali purpura peccatum sacerdotis contecturi; inter Chami nepotes ambulamus, quorum haec impudens oblectatio est, pudenda patris (sacerdotis) revelare*) ad risum, non sine circumstantia pestilentissimi scandali, quod ordinarie peccatum sacerdotis aggravare solet. O peccatum sacerdotis grave nimis!

3) Verum, o Jesu, cor contritum et humiliatum non despicies; plena lapsuum, fateor, est series vitae meae. Toties lapsus, surgo poenitens, ut tristetur orcus, et gaudeat coelum; scio, *super uno peccatore* laico, *poenitentiam agente*, *angelos etiam gaudere in coelo*,**) quanto majus gaudium erit coram angelis Dei in coelo super me peccatore sacerdote, poenitentiam seriam agente! „*Dixi, nunc coepi, haec mutatio dexterae excelsi.*“ ***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Genes. 9, 22. — **) Luc. 15, 10. — ***) Ps. 76, 11.

Digitized by Google

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus, cruce onustus, ingenti catenarum pondere gravatus, infami carnificum et lictorum turba circumdatus, in via ad montem Calvariae obviat matri suae moestissimae, quae filio suo dilectissimo ultimum dicit vale.

2) In hoc occursu audio moestissimam matrem non tam verbis oris, quam cordis filio suo patienti valedicentem: „*Vale fili! vale lumen oculorum meorum! vale vita vitae meae, vale unicum solatium meum! ita fili, quia sic fuit placitum ante te, non mea, sed tua fiat voluntas! Vale extremum, fili, et memento matris, cum veneris in regnum tuum!* Filius plenus amaritudine silet, mater dolore attonita stupet. Ingens inter utrumque est silentium oris, sed magnus clamor cordis. In hoc tanto utriusque silentio, cui adhuc lubet loqui? Unum superest, ut silens doleam cum si-

*) Job. 16, 17.

Digitized by Google

Digitized by Google

STATIO V.



Simon Cyrenæus angariatur.

Digitized by Google

lente et dolente, et usurpem flebilia vatis verba: „*Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte**) moestissimam filii moestissimi matrem.

3) O Jesu! o Maria! o fili! o mater! o Jesu! quantus tuus erga me amor! O Maria! quantus tuus pro me dolor! Non est dolor, sicut dolor tuus, o Maria; non est amor, sicut amor tuus, o Jesu!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Jesus crucem ferret ad montem Calvariae, ad eam vero ferendam vires sensim deficerent, cogunt tortores Simonem, ut crucem Jesu in suos susciperet humeros.

2) Fastidio fuit crux Simoni Cyrenaeo,

---

*) Jer. 9, 1. — **) Ps. 68, 21.

Digitized by Google

ideo ad eam ferendam cogi debuit. Meam vitam si inspicio, quid est, nisi fastidium crucis? De cruce cogitare est horror, audire pavor, crucem videre timor, portare labor. Omne meum studium est, vitare crucem: pedes sunt veloces ad effugiendam crucem, manus laborant, ut destruant crucem; aures obdurantur, ne audiant de cruce, oculi avertuntur, ne videant crucem; ista adversitas, illa injuria, ista detractio, illa sinistra valetudo, ista rei domesticae ingruens difficultas etc. crux est in ipso SS. Trinitatis Concilio ab aeterno mihi decreta tanquam singulare salutis consequendae praesidium. At ego hanc crucem cum Simone vultu aversor, manibus rejicio, animo abhorreo, humeris excutio.

3) O crux! tu mihi posthac semper eris in oculis, ut te videam, in auribus, ut de te audiam, in deliciis, ut te possideam, quippe in cruce salus, quia in cruce Salvator.

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Faciem Christi patientis sputis, vulneribus foede deformatam conspiciebat pia Veronica; ideo ex commiseratione porrigit eidem sudarium, ut faciem abstergere posset Salvator amantissimus.

2) O quam longe alia erit facies Christi judicantis! Nunc in passione ejus est facies vulneribus plena, tunc in judicio erit plena majestatis splendoribus. O quam laeti faciem Christi judicantis aspicient sacerdotes probi et zelosi; econtra quanto terrore percussi aspicient illam sacerdotes reprobi et malitiosi, qui in hac vita non nisi ad speciem Deo servierunt, praeter vestem nigram et rasum caput boni habentes nihil! „*Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se et prae angustia spiritus gementes:* **) *Quid nobis pro-*

---

*) Is. 53, 3. — **) Sap. 5, 2.

fuit superbia aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra etc."*)

3) O Jesu! quando veneris judicare, ubi me abscondam a facie irae tuae? quid dicam? quando veniam et apparebo ante faciem tuam? *Si (sacerdos) justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* **)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis etc.* ***)

℣. Adoro te etc.

1) Quo magis Jesus debilitabatur viribus, eo majore crudelitate saeviit in eum insana Judaeorum et lictorum turba, usque dum repetito lapsu sub cruce succumberet.

2) Impletum est nempe in Christo sub cruce lapso vaticinium illud Isaiae: „*Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.*"†) Posuit enimvero divinus Pater

*) Sap. 5, 8. 9. — **) 1. Pet. 4, 18. — ***) Ps. 21, 7. — †) Is. 53, 6.

Digitized by Google

in cruce filii sui iniquitates omnium non tantum laicorum, sed etiam sacerdotum. Iniquitates sacerdotum, o quantum onus Christo crucem bajulanti! audio conquerentem: „*Velut onus grave gravatae sunt super me.*“*) Quid mirum, quod divinissimus Redemptor secunda vice sub tam gravi onere in terram corruerit!

3) O Jesu, propter peccata mea afflictissime! toties te in terram prostravi, quoties peccavi. Peccavi sacerdos, tristis cogitatio! huc dolor, luctus, lacrymae, sanctis poenitentibus familiares! Huc o beata amarities, quantum in singulorum cordibus diffudisti moerorem, tantum collige in hoc uno! Rumpe costas et pectus, spatium horrori laxa! Heu, peccavi sacerdos! peccavi nimis: doleo, nunquam dolebo satis.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis etc.***)

℣. Adoro te etc.

---

*) Ps. 37, 5. — **) Thren. 1, 12.

1) Dum piae mulieres in via ad montem Calvariae Jesum vulneribus plenum conspiciebant, ex compassione in lacrymas prorumpunt. Lacrymantes vero Jesus alloquitur: „*Nolite flere super me*, *sed super vos ipsas flete.*"*)

2) Cur, o bone Jesu, flere super te vetas? Tu fundis sanguinem, et nos lacrymas fundere prohibes? Omnia lugent elementa, vel ipsa plorant saxa in passione tua, et nos, pro quibus gravissima pateris, nec flere permittis! At vero non prohibet lacrymas Jesus, sed tantum indicat, ipsi gratius fore, si super nos ipsos et super peccata nostra lacrymas fundamus. Unde subdit: „*sed super vos ipsas flete.*" O peccata! o una lacrymis digna causa! *Flere debemus*, inquit s. Augustinus, *peccata, quae commisimus. Iste fletus sit panis noster, quem die ac nocte comedere debemus.*

3) *Ciba me*, Domine Jesu! *pane lacrymarum, et potum da mihi in lacrymis in mensura.***) Da mihi lacrymas ex toto affectu internas. *His stratum meum ri-*

---

*) Luc. 23. 28 — **) Ps. 79, 6.

gabo,*) his peccatum meum deplorabo. *Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur.***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates etc.****)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Christus ad pedem montis Calvariae pervenisset, tertia vice lapsus in terram corruit.

2) Ex hoc tertio Christi lapsu colligendum, quam gravis fuerit crux Christi ob triplicem, quam continebat, gravitatem. Prima erat gravitas naturalis ligni: Secunda gravitas moralis, nempe causae seu peccatorum, propter quae crucem bajulabat. Tertia gravitas circumstantiarum, quae eam non modice aggravabant, quod scilicet tam lassus ac defatigatus, tam difficili, longo et arduo itinere, — in conspectu tantae hominum multitudinis, inter tot Judaeorum illusiones et convi-

*) Ps. 6, 7. — **) Matth. 5, 5. — ***) Is. 53, 5

tia, crucem portare debuerit. O crucem Christi gravissimam! econtra quam levis mea! Sinistra valetudo, iniquae detractiones, molestiae in officio pastorali occurrentes, difficultates ob tenuitatem redituum in re domestica ingruentes etc. crux sunt mihi imposita, at longe levior illâ Christi. Et tamen hanc meam levem crucem nescio quam gravem mea sibimet fingit impatientia.

3) O Jesu patientissime! vere tua patientia meam confundit et damnat impatientiam.†] Tu cum tuo divino patre mihi imposuisti hanc crucem; etsi interdum non modice gravet me, portabo tamen ad tuum exemplum patienter, ut per crucem *et tribulationes multas hujus saeculi merear introire in regnum tuum.*††]

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.* †††]

℣. Adoro te etc.

1) Antequam Jesus crucifigeretur, cru-

†] Thomas K. — ††] Act. 14, 21. — †††] Is. 1, 6.

deli violentia eidem propediem crucifigendo a lictoribus vestes diripiuntur.

2) Diripientibus vestes lictoribus et omnibus ad crucifigendum paratis sine dubio tacite secum Jesus ingeminat verba illa: „*Calicem* (mortis), *quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* †] ac si diceret: Non Judas proditor, non Annas sacrilegus, non irrisor Herodes, non injustus judex Pilatus, non sacerdotes accusantes, hunc crucifixionis et mortis calicem amarum mihi propinant, sed hic calix mittitur a coelo, non a terra; a Deo, non ab homine; a Patre meo coelesti, non ab hoste; non bibam illum? O ingens in omni afflictione solatium, si quid mali et adversi ab hominibus patior! Calix quidem amarus est, sed Deus pater mihi hunc calicem mittit, Dei filius ipsemet prior exhausit, non bibam illum? Rodor malevolorum dentibus, proscindor ab inimico homine verbis injuriosis, contemnor, vilipendor ab aliis etc. O amarum calicem! horreo illum ut toxicum, et est mihi pharmacum. Hunc ca-

†] Jo. 18, 11.

Digitized by Google

licem non propinat mihi homo ille inimicus, sed Pater meus coelestis; non bibam illum? Toties bibi et ebibi calicem, quem dedit mihi Bachus, quem Venus, quem Pluto, animae hostis, et rejiciam nunc calicem, quem dedit mihi Deus Pater?

3) O Pater amantissime! de manu tua lubens accipiam calicem cujuscunque adversitatis, et manum dantis exosculor. Hunc calicem suppono sacratissimis vulneribus filii tui patientis, ut decidat in illum vel unica pretiosi sanguinis gutta. Hoc sanguine mistum bibam calicem, quem dedisti mihi Pater, ut illo exhausto *introducas me in cellam vinariam*, ubi torrente voluptatis potabis me, *et inebriabor ab ubertate domus tuae.*†]

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.*††]

℣. Adoro te etc.

1) Vix ad montis Calvariae verticem

†] Cant. 2, 4. — ††] Ps. 35, 9.

Digitized by Google

ventum est, Jesus, Dei filius, spoliatus vestibus, in crucem prosternitur et eidem crudelissime affigitur.

2) Quis Jesum cruci affixit? quis nisi ego peccator? Ego, qui commisi culpam, intuli et poenam. Quidquid criminis commisit vel Judas, qui Jesum prodidit; vel miles, qui ligavit; vel Caiphas, qui accusavit; vel Pilatus, qui condemnavit; vel Herodes, qui illusit; vel Romanus, qui crucifixit: horum omnium criminum auctor sum et reus. Hi mei lacerti Jesum flagellarunt, hi mei digiti spineum sertum illi contexuerunt, haec mea lingua illum condemnavit, hoc meum os in illum exspuit, hae meae manus illi manus injecerunt et cruci affixerunt. Jesus, crucifixus a me, o scelus! Jesus, crucifixus pro me, o amor!

3) O Jesu crucifixe! tu perpetua charitate dilexisti me, et ego peccando afflixi te. Dilexisti me, quia cruci affigi voluisti pro me; afflixi te, quia cruci fuisti affixus a me. Verumtamen post tantam iniquitatem meam non despero; majora enim sunt in crucifixione tua pro me merita, quam mea contra te scelera. Pec-

Digitized by Google

cavi, fateor, peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam passionis tuae recordor. Peccator sum et in peccatis natus totus, †] nec tamen timeo, qui crucifigi voluisti pro me, meque expansis in cruce brachiis exspectas. O quantam tibi inferrem iujuriam, si desperarem gratiam. Quomodo me, quem tanto emisti pretio, perdes? O Jesu, *in te* crucifixum pro me *speravi, non confundar in aeternum.* ††]

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.* †††]

℣. Adoro te etc.

1) Jesus, Dei filius, per tres horas in cruce pendens, confectus vulneribus, consummatus doloribus, tandem in manus Patris beatum emittit spiritum.

2) O stupendam Dei hominis in me charitatem! Quid enim potuit Deus homo pro me peccatore perferre, et non

†] Jo. 9, 34. — ††] Ps. 30, 2. — †††] Phil. 2.

pertulit? Sudavit ut agonizans, comprehensus ut fur, caesus ut mancipium, velatus ut pseudopropheta, accusatus ut seductor, consputus ut blasphemus, illusus ut stultus, crucifixus ut latro, post omnia moritur in cruce ut reus — sic dilexit.

3) O amor crucifixe! per montem Calvariae jam manibus et pedibus adrepo ad crucem tuam, per crucem ad te crucifixum, non jam fulmine armatum, sed plagis multis vulneratum. Contritus ac gemens exclamo: „*Parce mihi, Domine*",*) quia non pepercisti tibi, ut parceres mihi; ut me sanares, vulneratus es; ut ego viverem, mortuus es; ut ego declinarem a malo et facerem bonum, atque ita obtinerem summum bonum et declinarem summum malum, inclinato capite tradidisti spiritum. — Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* **)

℣. Adoro te etc.

---

*) Job 7, 16. — **) Luc. 2, 35.

Digitized by Google

1) *Ne remaneret in cruce* corpus Jesu Sabbato, *(erat enim magnus dies ille Sabbati)**) fuit de cruce depositum et in sinu matris moestissimae reclinatum.

2) O mater, non jam mater! *non est, qui consoletur***) te, non est usque ad unum. Qui unus est solatium tuum, emisit spiritum suum. Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tibi? Tenebrae factae sunt super universam terram. Terra tremuit, elementa titubant, dissiliunt lapides, tota turbatur natura. In tanto trepidantis ac pene deficientis naturae terrore, quis medebitur tibi? Tota exsultat Judaea, applaudit sibi synagoga, congaudent scribae et Pharisaei, exsultant omnes hostes filii tui, quis medebitur tibi? Petrus prae timore latet, Joannes prae dolore tacet, Jacobus propter metum Judaeorum comparere non audet. Alii prae stupore rigent, omnes te afflictam tibi afflictissimae relinquunt, quis medebitur tibi? Quis, nisi ego, sedulo posthac in me cavendo, in meis subditis impediendo

---

*) Jo. 19, 31. – **) Thren. 1, 2.

Digitized by Google

ea peccata, quibus in dies offenditur et rursus crucifigitur filius tuus? Sic

3) O mater dolorosissima, medebor tibi in doloribus tuis, ut et mihi medearis potenti patrocinio tuo in angustiis mortis. Et sicut filio tuo in cruce morienti adstitisti, ita mihi quoque morituro assistere digneris. O Maria! in ultima mortis hora pro me peccatore ora.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Corpus Jesu mortuum jacet in sepulchro, anima ejus gaudet in limbo, exspectans tertia ab obitu die unionem cum corpore sepulto et gloriosam ex sepulchro resurrectionem.

2) Ubi vero, quando corpus meum olim in sepulchro jacebit, mea erit anima? Nisi vitam emendem, corpore relicto in

*) Is. 11, 10.

Digitized by Google

sepulchro, infelix anima erit in tartaro. Tunc anima, in medio tormentorum posita, respiciens omnia in vita praeterita, horrendum in modum ululabit, et cum immenso quodam fragore implens totum aërem questibus, exclamabit cum illis apud Sapientem: „*Transierunt omnia tanquam umbra.*“ *) Transierunt tam cito, tam celeriter, in ictu oculi, in momento, in puncto. Transierunt velut umbra reditus praebendae, quam jam successor possidet. Transierunt divitiae, quibus cor stolide apposui. Transierunt deliciae, quas tam cupide gustavi. Transierunt velut umbra omnes meae spes mundanae, propter quas exhausi omnes vires corporis, animi, ingenii; propter quas subii tot pericula, tot devoravi taedia, tot pertuli incommoda, tot exantlavi labores. Transierunt omnia velut umbra, propter quae tot noctibus vigilavi, tot diebus me occupavi, propter quae tot a me scripta, dicta, facta, cogitata, propter quae totius vitae tempus omne impendi, — et jam in aeternum perii, exspectans in die novissimo tristissimam


---

*) Sap. 5, 9.

cum corpore sepulto unionem et infelicissimam ex sepulchro resurrectionem.

3) Heu mihi Domine! quia peccavi nimis in vita mea. Post vitam in peccatis transactam, quid aliud exspectandum mihi non poenitenti, quam mors peccatorum pessima et infelix ex sepulchro resurrectio? Peccantem me quotidie, et non me poenitentem, timor mortis conturbat me, quia in inferno nulla est redemptio; miserere mei Deus et salva me.

Per crucem etc. Pater noster etc.



Digitized by Google

Praxis quarta.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Hactenus Pilatus pro Christo liberando virum fortem se ostenderat, sed tandem excusserunt ei omnem ex animo aequitatem et incusserunt formidinem illa Judaeorum verba: „*Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris.*“**) Quibus auditis Pilatus Jesum utut innocentissimum ad mortem condemnavit.

2) Haec verba: „*Non es amicus Caesaris*“ nimium quantum turbarunt animum Praesidis! Tunc ipse secum: „Pereat potius Christus, quam ut Pilatus non sit

*) Ps. 93. — **) Jo. 19, 12.

Digitized by Google

amicus Caesaris. Amica justitia, amica innocentia, sed magis amicus Caesar. Inimicus potius sim Numinis, quam non amicus Caesaris. Tollatur potius innocens ex hac vita, quam Pilatus excidat Caesaris gratia.“ O dira cupiditas hominibus placendi! o pessimus eisdem displicendi metus! o humani respectus de illa cupiditate et metu conflati! Quam potentes estis vel ad condemnandum Jesum innocentem permovere Pilatum! Quod neque Pharisaei suis calumniis, neque summi Sacerdotes suis praetensis legibus, neque populus suis inconditis clamoribus extorquere potuit, unus obtinet in Pilato respectus humanus. Verum quid Pilatum perstringo? Ego sum ille Pilatus, si ex respectu humano officium meum negligo, si pravos abusus, publica scandala, vestium lasciviam, chorearum petulantiam, nocturnorum conventiculorum periculosam licentiam meis parochianis vel ex insana eis placendi cupiditate, vel ex stulto eisdem displicendi metu turpiter conniveo etc. Nonne hoc est, ad unguem exprimere personam Pilati?

3) O pudor! o dolor! quid aliud est,

Digitized by Google

o Jesu, nisi tuus despectus humanus ille respectus, quo hactenus abreptus fui! Non amicus hominum, sed tuus, o Jesu, amicus esse cupio. Non ea, quae hominibus, sed *quae tibi sunt placita, faciam semper.**) Si enim adhuc hominibus placerem, tuus servus non essem.**) Malo soli tibi placere in posterum, quam omnibus, qui sunt, erunt, vel fuerunt, hominibus totius mundi. Si hic peregrinus, quae placita sunt tibi, facio semper, *placebo tibi quoque, Domine, in regione vivorum.****)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Pronuntiata mortis sententia crucem a Judaeis jam paratam Christus in suos sanctos suscipit humeros, et bajulans sibi crucem inter lictorum et satellitum turbam, ad montem Calvariae pergit.

---

*) Jo. 8, 29. — **) Gal. 1, 10. — ***) Ps. 114, 9. — †) Ps. 53.

Digitized by Google

2) Jesus bajulat sibi crucem, mihi relinquens exemplum, ut et ego meam bajulem crucem ejusque sequar vestigia. Crux mea sinistra valetudo, crux mea ingruentes molestiae et difficultates in officio pastorali, crux mea ruditas et cruditas parochianorum, crux mea haec vel illa adversa vix non quotidie occurrentia etc. Ad hanc crucem tollendam me invitat Christus illis verbis: „*Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie et sequatur me.*" *)

3) O Jesu, quoties ego haec et similia lego, audio, meis de Cathedra praedico, et tamen non facio! Impatientia mea satis demonstrat, qualis ego hactenus fuerim crucis bajulans, sed imposterum, ut vi vocationis meae veniam discipulus post te magistrum, tollam crucem meam quotidie et adversa omnia. Hac cum cruce sequar te bajulantem crucem. O Jesu! respice me sequentem et trahe me post te, hic ad montem Calvariae, ibi ad montem gloriae.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Matth. 16, 24.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Christus a praetorio Pilati per spatium octoginta circiter passuum in humeris suis cruentis crucem portasset, prima vice sub pondere crucis viribus deficientibus in terram labitur.

2) Sub cruce prostratum audio me alloquentem divinum Salvatorem illis verbis, quae olim dixit ad Henricum Susonem aut ascetam Kempensem: „*Quid est, quod conquereris, fili! Numquid innocens ego majora passus sum? Cessa conqueri considerata mea et aliorum sanctorum passione. Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima, et si tibi minima non videntur, vide, ne et hoc tua faciat impatientia; sive tamen magna sive parva fuerint, stude, cuncta patienter sufferre amore mei, qui longe graviora tuli amore tui.*" **)

---

*) Ps. 10, 8. — **) Thom. K.

3) Domine Jesu! quia tu patiens fuisti in passione et in tota vita tua, in hoc maxime implendo voluntatem Patris tui, dignum est, ut ego misellus peccator secundum voluntatem tuam patienter me sustineam, et donec ipse volueris, onus corruptibilis vitae hujus pro mea salute portem. Nam etsi onerosa praesens sentitur vita, facta est tamen per tuam gratiam valde meritoria, atque exemplo tuo et sanctorum vestigiis infirmis tolerabilior et clarior. Pauculas igitur meas cruces in fasciculum colligo, et tenue tributum tibi amore mei sub cruce prostrato depono, da robur, fer auxilium.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Christus in itinere ad montem Calvariae obviam habet matrem tristissimam, eidem aeternum dicens vale verbis potius cordis, quam oris.

---

*) Job 16.

2) Vale, carissima mater, accepi ex te corpus, in te spiritum, illum jam tradam in manus Patris. Vidisti me olim infantem nascentem in praesepio media nocte, videbis jam me morientem in cruce media die. Ita, mater, quia sic fuit placitum ante Patrem. Scio, quia *magna est velut mare contritio tua;* *) sed et hoc scito, quia non est dolor, sicut dolor meus. Vale, mater! ecce filius tuus jam moritur juxta te, qui olim natus est ex te.

3) Vale dixisti, o Jesu, matri tuae, liceat et mihi tibi morienti vale dicere: Vale creator! vale redemptor! vale fili Mariae! tempus est, ut relinquas matrem et abeas ex hoc mundo ad patrem. Sed dum jam abis, ego filius ancillae tuae Mariae *petitionem unam parvulam deprecor a te,* **) obsecro, „*memento mei, dum veneris in regnum tuum.*“ †)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.* ††) — ℣. Adoro te etc.

*) Thren. 2, 13. — **) III. Reg. 2, 20. — †) Luc. 23, 42. — ††) Ps. 68, 25.

1) Postquam Christus inexplicabiles perpessus fuisset cruciatus et ulterius vix procedere posset, lictores exeuntes invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem, cui invito et angariato crucem imposuerunt.

2) Quis similior huic Simoni Cyrenaeo quam ego, invitus crucem Jesu portans, invitus saepe horas canonicas recitans, invitus saepe sacramenta aegrotis administrans, aut eorum visitationem negligens, invitus casas pauperum et contagionum pericula subiens, invitus et obiter instructionem rudium suscipiens. Quid cathedra, quid sacrum tribunal, quid catheches, quid scholae, quid parochiani, quid vicini parochi et confratres dicunt? Numquid dicunt, majorem mihi curam esse pecuniarum, quam animarum; curam majorem mensae, quam templi; commodorum et dulcis otii, quam concionum et sacri tribunalis? Numquid dicunt, operam, quam divinis officiis adhibeo, nimis negligentem esse; in providendis aegris nimis lente, in recitandis horis nimis festinanter me agere et ludibundi instar dicere Deo: „Deus in adjutorium meum intende,

Digitized by Google

Domine ad festinandum me adjuva?" Numquid dicunt, in functionibus officii, saltem illis, in quibus aliqua molestia patienda est, me impatientem et angariatum Simonem esse, et invitum crucem Jesu portare?

3) O patientissime Jesu, *qui proposito tibi gaudio sustinuisti crucem!**) Detestor jam impatientiam meam in cruce ferenda officii mei, quam imposuisti humeris meis. Infunde mihi amorem crucis, ut sub cruce officii pastoralis satis ponderosa nunquam deficiam, sed constanter eam portem usque ad mortem.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica offert sudarium.

Ant. *Quasi àbsconditus vultus ejus etc.***)

℣. Adoro te etc.


1) Miserandus erat aspectus faciei divinae, quam sputis et vulnéribus deformavit carnificum rabies; ideo commi-

---

*) Hebr. 12, 2. — **) Is. 53.

Digitized by Google

STATIO VI.



Veronica porrigit sudarium.

Digitized by Google

Digitized by Google

seratione mota pia Veronica sudarium ad abstergendas maculas Christo patienti offert.

2) S. Henricus Suso, ex ordine s. Dominici sacerdos, ut in ejus vita legitur, aliquando graviter tentatus, ut a maledicentibus, detrahentibus et sibi adversantibus faciem averteret. Mox intus in corde sensit sibi loquentem Jesum: „*Memineris, ut ego ipse Dominus tuus elegantissimam faciem meam non averterim ab increpantibus et conspuentibus in me.*"*) Hoc tanquam ab ore Christi sibi dictum putabat Suso. Idem et mihi Jesus facie vulneratus inclamat: „*Memineris faciei meae, sputis, plagis et vulneribus injuriatae, et tibi grave videtur, ferre unicum in faciem conjectum convicium, unicum verbum pungens, injuriosum, vexatorium, aut, ut vocas, despectivum etc. totus excandescis in flammas iracundiae et desideria vindictae etc.*"

3) Merito, o Jesu, aversaris me, sacerdotem adeo delicatum! jam faciem tuam sputis, vulneribus, plagis probrosissime

*) Is. 50, 6.

Digitized by Google

injuriatam, hanc tuam *faciem*, o Jesu, *illumina super me servum tuum*,*) ut nulla amplius operiat confusio faciem meam. Non avertam imposterum faciem ab increpantibus et conspuentibus in me, quia et faciem tuam elegantissimam tam foede vulneratam et sputis injuriosis maculatam video. O Jesu! *respice in me et miserere mei.*"**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Jesus secunda vice labitur.

Ant. *Ego sum vermis et non homo etc.****)

℣. Adoro te etc.

1) Christus Dominus, post tot verbera et vulnera a Judaeis nihil mitius tractatus, sed novis tormentis indesinenter affectus, secunda vice sub pondere crucis in terram labitur.

2) „*Vides me, fili, in terra jacentem*", ita me alloquentem audio divinum Salvatorem: „*Vides me, fili, ego sum Dominus gloriae, nihilominus magis fama laceratur*

*) Ps. 118, 135. — **) Ps. 24, 16. — ***) Ps. 21, 6.

et honor meus, quam flagellis corpus, et spinis caput. Vapulo ut scurra, tractor ut latro, conculcor ut vermis, vendor ut pecus, doctrina mea traducitur ut pernicies, facta ut flagitia, beneficia ut scelera, ita mecum agunt adversarii mei, ita omnia interpretantur sinistre, deferunt falso etc., ut tu discas, fili, humiliare te, infra alios te submittere; ne aegre feras, si meritorum tuorum nulla habeatur ratio, si aliis in officiis postponaris; si defectus tui aliis innotescant, si doctrina, dicta, factaque sinistris malevolorum crisibus subjiciantur etc.; scito, similia evenient tibi, si divino patri meo carus sis et meae particeps sortis esse velis etc."

3) Ausculto te, Domine Jesu, loquentem: „*Si haec sors tibi Domino obtigit, an melior mihi servo obtinget? Non est servus major Domino suo.*"*) At vero tu scis fragilitatem meam, quod modicum possim pati, et quod cito exsurgentibus adversariis dejiciar. Quod ergo mihi impossibile videtur per naturam, fac mihi possibile per gratiam.**) „*Adjuva me, Domine*

---

*) Jo. 13, 16. — **) Thomas K.

Digitized by Google

Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam."*)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Aspiciens Jesus piam mulierum se sequentium et deplorantium turbam, eandem sic affatur: „*Filiae Jerusalem! nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.*"***)

2) Praevidit nempe Jesus patiens ex his mulieribus plerasque earumque posteros dependenter ab eorum peccatis, non passione sua obstante, reprobos et aeternum damnandos. Ideo dicit mulieribus flentibus: „*Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.*" Non tantum mulieres, sed etiam me vidit, seu potius praevidit Jesus patiens. Et quid praevidit in tota vita mea praeterita, nisi scelera, flagitia,

*) Ps. 108, 26. — **) Thren. 1. — ***) Luc. 23, 28.

Digitized by Google

innumeras tepiditates et negligentias? Vae mihi non poenitenti! Quam merito metuendum, ne, cum aliis praedicaverim, non obstante Christi passione, ipse reprobus efficiar, in igne devorante inferni arsurus aeternum! Ah, utinam hoc non debuisset ob peccata mea praevidere mens Dei omniscia!

3) O Jesu! quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? quis poterit? Jam omnino decisum et in perpetuum constitutum mihi, sempiternis inferni ardoribus mancipari nolo. Exhorresco, quoties cogito profundissimam illam ignis infernalis abyssum, ubi etiam inter sacerdotes absorpti desperant multi. Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me, quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, et salva me.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.*
℣. Adoro te etc.

---

*) Is. 53.

Digitized by Google

1) Ad pedem montis Calvariae cum pervenisset Jesus crucem bajulans, viribus exhaustus et sub pondere crucis fatiscens, tertia vice labitur, qui lapsus Christo omnium erat dolorosissimus.

2) Errasti, anim amea! hoc lapsu sub cruce longe dolorosior est Christo patienti lapsus sacerdotis in peccatum grave. Labitur laicus in peccatum grave, dolorosus Christo lapsus; labitur sacerdos, o lapsus Christo longe dolorosissimus! Memini illius horae infelicis, ın qua, pondere tentationum depressus, in illa peccata grandia lapsus fui, quae vel nominari prohibet Apostolus. Ergo

3) Quid superest mihi, nisi poenitentia? Toties lapsus surgam, et ad quem ibo, nisi ad te, o Jesu, qui sub pondere crucis lapsus es pro me! Statutum est, hac hora surgendi. Tu porrige dexteram surgenti; qui lapsum Petrum, sacerdotum principem, erexisti, mihi quoque spem dedisti.

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis usque ad verticem etc.**) — ℣. Adoro teetc.

1) Jesus Christus, Sacerdos aeternus secundum ordinem Melchisedech, se ipsum divino Patri in ara crucis sacrificaturus, propriis exuitur vestibus.

2) Non licet sacerdoti, ad sacrificium celebrandum absque paramentis accedere; ideo et summus Sacerdos Jesus sacrificium illud in ara crucis oblaturus, quo nullum pretiosius, nobilius, sanctius orbis vidit, propriis exui vestibus, et paramentis solemnibus Episcopum animarum nostrarum decentibus indui voluit. Quaenam illa? induitur non alba, sed veste rubra, cute corporis roseo tincta sanguine, mille vulneribus, tanquam gemmis, intexta. Verticem sacrosanctum coronat mitra non honoris, sed spinarum. Manipulus compedes et manicae ferreae. Collum circumdat stola, id est, catena et funis, malefactoribus suspendendis destinatus. Hu-

*) Is. 1, 6.

Digitized by Google

merale crux ponderosa. Pluviale sanguis globatim in terram defluens. His paramentis indutus, vult sacrificium suum celebrare Jesus, summus Sacerdos noster.

3) O summe Sacerdos et vere Pontifex, Jesu Christe! Ut te video propriis vestibus exutum et talibus paramentis indutum, exclamare cogor cum tuo Xaverio: „*O amor immensus, stupendus, quem erga me in ara crucis ostendisti! Tulisti clavos, lanceam multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores et angores ac mortem, et haec propter me ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? Non ut in coelo salves me nec praemii ullius spe, sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, solum quia Rex meus et Deus meus es.*"

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Christus violenta rabie a lictoribus tandem in crucem agitur, extenditur,

*) Is. 53, 7.

horrendis clavis affigitur, affixus cruci erigitur et exaltabitur.

2) Ante passionem suam praedixerat amantissimus Salvator: „*Si exaltatus fuero aterra, omnia traham ad me ipsum.*“ *) Id est, prout exponit s. Leo Papa, omnes gentes traham ad me. Traxit enimvero Jesus, Sacerdos summus, in cruce exaltatus, latronem orantem, militem lancea latus aperientem, Judaeos post mortem revertentes et *percutientes pectora sua etc.* **) Ego vero, exaltatus ad sublime dignitatis sacerdotalis et hierarchici muneris pastoralis fastigium, quot animas ex meis traxi hactenus ad Deum? Intueor tot sacerdotes zelosos (qualis et ego esse deberem), Franciscos Salesios, Carolos Borromaeos, Joannes Nepomucenos, Cantios, Vincentios a Paula etc., qui integras phalanges animarum traxerunt ad Deum in coelo sine fine fruendum. Utinam horum exempla imitatus, vel unicam ex mihi commissis animam ad Deum, ad coelum traxissem hactenus!

---

*) Jo. 12, 32. — **) Luc. 23, 48.

Digitized by Google

3) *Confiteor, o Jesu, adversum me injustitiam*)* et nimis magnam negligentiam meam! Excita, quaeso, in me spiritum zelosorum et sanctorum illorum sacerdotum. Me primum tu exaltatus in cruce trahe ad te, ut traham omnes reliquos, quos tradidisti mihi, ad te Deum et unicum Dominum nostrum, Jesum Christum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Vix mortuus erat in cruce Jesus, unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.***)

2) Lancea aperitur latus Jesu, Salvatoris mei, et in latere cor illud, in quo nihil retinuit Jesus in cruce mortuus, nisi amorem mei. Aperitur cor illud, quo me Jesus a primo, quo conceptus est, momento, usque ad mortem, mortem autem crucis, immenso complexus est amore. Quis enim, nisi amor mei, aperuit caput

---

*) Ps. 31, 5. — **) Phil. 2, 8. — ***) Jo. 19, 34.

spinis? Amor mei aperuit manus et pedes clavis, amor mei aperuit membra omnia flagellis. Extendit in cruce Jesus brachia, ut me amplectatur. Inclinat caput, ut mihi praebeat osculum pacis, vulneratur lancea, ut me vulneret charitate. Ex sauciato latere fluit sanguis et aqua, ut me potet torrente voluptatis. Amore denique mei mortuus in cruce, ut ego viverem. Sic mori voluit, qui voluit amari.

3) O Jesu crucifixe, cujus cor post mortem amore mei fuit sauciatum! saucia quoque cor meum amore tui, ut tandem aliquando te solum, omni amore dignissimum, amare incipiat. O cor Jesu, flagrans amore mei! inflamma cor meum amore tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Corpus Jesu de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.**) — ℣. Adoro te etc.

---

*) Luc. 2, 35.

1) Corpus Christi exanime deponitur de cruce, et in sinu Matris afflictissimae a Josepho Arimathaeo et Nicodemo deponitur.

2) Superi! quid video? corpus exanime redemptoris mei in sinu matris Mariae. „*A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*“ *) Caput mille puncturis saucium, facies deformata, oculi emortui, capilli sanguine concreti, os lividum, dorsum flagris concisum, manus et pedes perforati, latus lanceatum, totum corpus quasi decoriatum! Tanta, tam acerba, tam enormia passus est Jesus pro me, pro salute meorum, pro salute hominum omnium totius mundi. Imo, quidquid passus est pro omnibus hominibus totius mundi, passus est pro singulis in grege meo. Licet cum esset Jesus in sinu patris, cognovisset et praevidisset non futuros plures homines in mundo, quam sint in grege meo, in parochia mea, eadem tamen pati paratus fuisset pro tam exiguo numero, quae pro hominibus om-

---

*) Is. 1, 6.

nibus totius mundi. Et ego in officio meo pastorali pro salute gregis mei pati volo nihil, nullum incommodum, nullam molestiam, nullam tribulationem, ne dicam tormenta, vulnera, mortem.

3) O Jesu, pastor pastorum, inclina cor meum ad patiendum et ad sequenda tua vestigia, quae mihi et reliquis animarum pastoribus in passione tua reliquisti! „*Si enim sustinebimus, et conregnabimus.*" *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. „*Et sepulchrum ejus erit gloriosum.*" **)

℣. Adoro te etc.

1) Corpus Jesu de cruce depositum sindone munda involvitur, et in sepulchro novo mundissimo reclinatur.

2) Cor sacerdotis veluti sepulchrum est, in quo quotidie reclinari dignatur

---

*) II. Timoth. 2, 12. — **) Is. 11, 10.

Digitized by Google

corpus Jesu Eucharisticum. Vae mihi, si immundum, foedum, vanitatibus mundi, sordibus vitiorum repletum fuerit cor meum! Princeps terrenus, in itinere constitutus, vile non dedignatur subinde intrare tugurium, modo non valde immundum sit. et sordidum. Ad domum regiam reversus in suo cubili, in quo quotidie habitare solet, praeter munditiem ornatum requirit, aulaea splendida, pretiosos tapetes. Simili modo rex summus coeli et terrae, Christus dominus, in corda laicorum hominum sub speciebus Eucharisticis rarius intrans contentus est, modo decenter a grossioribus peccati mortalis sordibus mundatum fuerit. Verum cor sacerdotis est veluti cubiculum regium, in quo quotidie habitare solet, non tantum munditiem, sed et ornatum, splendorem, pretiosos tapetes virtutum requirit.

3) O Jesu, *qui corda nosti omnium*,*) tu optime nosti, quam immundum, sordibus vitiorum, vanitatibus mundi, repletum sit cor meum, in quod tamen cum

---

*) Act. 1, 24.

Digitized by Google

tui indignatione toties et quotidie in ss. sacrificio Missae te reclinare ausus fui. Ah, *cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis,* *) ut in corde meo et in visceribus meis dignum mundumque habitaculum invenias, in illo veluti in sepulchro novo requiescas.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. 50, 12.



Digitized by Google

Praxis quinta.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)
℣. Adoro te etc.

1) Postquam Judaei in suo concilio Jesum utut innocentem ad mortem condemnaverant, tradiderunt eum Pontio Pilato praesidi. Ante hujus tribunal stat Jesus judicandus.

2) Sed veniet tempus, quando Jesus sedebit judicaturus, ego vero cum Pilato stabo judicandus. Hoc *tempus cum acceperit* Jesus, *etiam justitias judicabit.***) Tunc enimvero judicabit Christus judex non tantum peccata, sed etiam omnes justitias meas. Judicabit orationes, sacrificia, sacramentorum administrationes. Judicabit aegrotorum curam et visitationes; ca-

---

*) Ps. 93, 21. — **) Ps. 74, 3.

Digitized by Google

techeses, conciones etc., quo zelo, sollicitudine, opportunitate, praeparatione sint exercitae? an culpa mea omissae? Pro omnibus *his adducet me Deus in judicium*,*) pro omnibus, quae accepi, talentis, pro omnibus, quos percepi, reditibus, pro omnibus, quibus fruitus sum, privilegiis etc. *Cui enim multum datum est, multum quaeretur ab eo.***)

3) O Jesu, qui nunc coram Pilato judicatus, olim judicaturus venies! A te judicaturo poenitens confugio, et appello ad te judicatum. Licet debeam justitiae tuae plus quam decem millia talenta, non ideo tamen despero, quia ex meritis tuae mortis, ad quam pro me injuste condemnatus es, sumo pretium, unde solvam totum debitum. O Jesu condemnate, *ne intres in judicium cum servo tuo!****)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.*†) — ℣. Adoro te etc.

---

*) Eccl. 11, 9. — **) Luc. 12, 48. — ***) Ps. 142, 2. — †) Is. 53, 7.

Digitized by Google

1) Jesus ad mortem crucis ab iniquo judice Pilato condemnatus crucem in suos sacrosanctos humeros cum gaudio elevat eaque oneratus ad montem Calvariae pergit.

2) Errat, quicunque putat, Jesum hac hora primum suscepisse in humeros crucem. Nec enim dominus noster Jesus Christus, inquit devotissimus Kempensis, una hora sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Ab hora nativitatis usque ad horam mortis portavit crucem, crucem paupertatis, crucem contemptus, crucem doloris. Hanc crucem Christus extulit verbis, expressit moribus, commendavit vita, consecravit sanguine, corpore et anima. Ego vero hanc crucem Christi aversor eique humeros subtrahere diu noctuque laboro; Jesum crucifixum meis de cathedra praedico, crucem ejus cane pejus et angue fugio.

3) O Jesu, amator crucis, qui cordibus omnium, praesertim vero sacerdotum tuorum inscripsisti verba illa: „*Qui non bajulat crucem suam post me, non est me dignus.*" *) Ecce curvatus sum usque in ter-

---

*) Matth. 10, 38.

ram, ut suscipiam crucem in humeros meos, et adversa omnia; ecce extensas manus, ut crucem amplectar, parata labia, ut crucem exosculer, inclinatos humeros, ut portem crucem. Portabo crucem usque in finem, ut salvus fiam; *qui enim* (in cruce, sicut tu) *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Afflictus, sanguine diffluens, innumeris debilitatus vulneribus ac semimortuus, Christus Dominus sub immani crucis pondere fatiscens in terram prolabitur.

2) Tantas nempe, tam inexplicabiles poenas Christo intulit peccatum, quas omnes promptissime in se suscepit, ut me

---

*) Matth. 10, 22. — **) Ps. 108.

Digitized by Google

peccatorem ab omnibus poenis liberaret. Debebatur mihi peccatori aeterna afflictio, animae aeterna fastidia, taedia, tristitiae, hanc in se Christus poenam suscepit in horto Gethsemani. Debebatur mihi peccatori aeternum in inferno opprobrium, hanc poenam in se suscepit Christus, *factus* in passione sua *opprobrium hominum et abjectio plebis.**) Mihi peccatori debebatur mors aeterna, nisi illam crudeli morte sua avertisset Jesus. O peccatum! o peccatum! Qui post peractam passionis tragoediam te non abominatur, dignus est, dicente s. Augustino, ut ei novus fabricetur infernus.

3) O Jesu! qui tot et innumeras poenas pro peccatis meis in te suscepisti, et in mediis etiam poenis mei singillatim es recordatus, abominor jam peccatum omne, praesertim illud, quod conscientia mihi dictat a me saepius esse commissum. O Jesu, non amplius peccare, non amplius in aeternum!

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. 21, 7.

Digitized by Google

STATIO IV.

Christus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Obvians Maria filio suo in via ad montem Calvariae videt illum vulneribus plenum, cruce onustum, carnificibus circumdatum, ad mortem crucis condemnatum.

2) O quantum discrimen inter Bethlehem, ubi Maria Jesum genuit, et inter Jerusalem, ubi Jesum patientem videt! Quantum differunt, involvi nitidis pannis, et configi ferreis clavis; jacere in foeno, et pendere in ligno; illic nasci, hic mori; quantum distant concentus Angelorum, et blasphemiae Judaeorum! Jam non resonat in auribus Mariae carmen illud coeleste: „*Gloria in excelsis Deo*", **) sed illa dira scommata: „*Homo vorax*, *potator vini*, *publicanorum et peccatorum amicus*, ***) filius fabri, seductor populi." Ubi nunc tres Reges, qui *procidentes adorabant eum*? †) Nunc summi Sacerdotes ei illudunt: „*Alios sal-*

---

*) Job 16, — **) Luc. 2, 14. — ***) Matth. 11, 19. — †) Matth. 2, 11.

vos fecit, se ipsum non potest salvum facere."*) O quantus dolor in corpore filii! quantus dolor in pectore matris talia videntis et audientis!

3) O Jesu! o Maria! Ego sum causa vestrae passionis, vestrae contritionis et desolationis. O Jesu, vir dolorum, istud agas, tuas fige plagas cordi meo valide, poenas mecum divide! O Maria, virgo virginum praeclara, mihi jam non sis amara, impetra mihi fructum passionis dilecti filii tui! Tu mater Dei, tu mater rei, tu mater judicis, tu mater exsulis. Cum sis mater utriusque filii, ne sinas filium reum damnari per filium Deum, sed materna pietate procura, ut ego filius reus reconcilier filio, qui est Deus, me filium exsulem defende apud filium judicem, ut cum latrone crucifixo ex ejus ore in hora mortis audiam: „*Hodie mecum eris in Paradiso.*"**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Luc. 23, 35. — **) Luc. 23, 43.

Digitized by Google

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Crucis pondere et tortorum saevitie adeo debilitatus erat Jesus, ut vix valeret pedem movere, ne dicam, gravissimum crucis pondus portare; ideo angariaverunt Simonem, ut crucem Jesu portaret.

2) Non desunt magnae auctoritatis scriptores, qui asserunt, ad illud tempus Paschatis, quo Christus est passus, Jerosolymam confluxisse quadragies centena millia hominum, sive quatuor milliones capitum, et tamen in tanta hominum multitudine, qui Christum crucem bajulantem partim praeibant, partim subsequebantur, non est inventus, qui crucem Christi portaret, nisi unus hic Simon, et ille quidem compulsus. Ita et hodie fieri amat. Quid dicam de laicis? vel inter sacerdotes pauci reperiuntur crucis bajuli, omnes

---

*) Ps. 68, 25.

Digitized by Google

sunt Christoferi, pauci cruciferi. Omnes Christum sub speciebus eucharisticis in manibus circumferunt, pauci vero ejus crucem. Multi sequuntur Jesum (conqueritur Kempensis) usque ad fractionem panis, pauci usque ad bibendum calicem passionis; habet Jesus (etiam inter sacerdotes) multos amatores regni sui coelestis, sed paucos bajulatores suae crucis; multi Jesum diligunt, quamdiu adversa non contingunt, occurrente adversitate cito deficiunt. An non inter hos et ego sum?

3) O Jesu! *Qui te* in ferenda cruce *non sequitur, non potest tuus esse discipulus.**) Inter tuos posthac volo esse discipulos. In omnibus angustiis, tribulationibus et adversitatibus sequar te ferentem crucem. Nolo esse sine cruce, cum te cruce onustum conspicio. Nolo vivere sine vulnere, quando te video pro me vulneratum.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.****)

℣. Adoro te etc.

---

*) Luc. 14, 27. — **) S. Bernard. — ***) Is. 53.

Digitized by Google

1) Nec faciei sacrosanctae Christi parcebant carnifices, sed percutiebant faciem ejus. Ad abstergendam autem crebris percussionibus deformatam faciem pia Veronica Christo velum capitis sui porrigit.

2) Prophetiza, o Jesu! quis te percussit? quis faciem tuam adeo foedavit? quis? nisi ego, — toties faciem tuam cecidi, quoties in peccatum cecidi. Quid dicam? quando veniam et apparebo ante faciem tuam? aut quo jam convertam faciem meam? Si suspicio, timeo fulgurantem gladium justitiae; si circumspicio, video hostium infernalium minantium in circuitu exercitum; si despicio, horreo inferni barathrum. Haec omnia ut declinem,

3) Tibi supplico, pater, ut non aspicias indignitatem scelerum meorum. Magna sunt, fateor, quae commisi, crimina, sed majora sunt, quae in satisfactionem offero, filii tui patientis merita; major est vox filii tui ejusque vulnerum, quam clamor omnium meorum scelerum. Si voluptate illicita, si intemperantia, si superbia, iracundia etc. peccavi, suam mihi dudum humilitatem, mansuetudinem, jejunia, pas-

Digitized by Google

sionem et tormenta consignavit filius tuus. Noli ergo intueri me peccantem, sed aspice filium tuum pro me agonizantem. *Respice in faciem Christi tui.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Jesus secunda vice cadit.

Ant. *Ego sum vermis etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Quo majore virium debilitate laborabat Jesus crucem sibi bajulans, eo majore crudelitate saeviebant in eum tortores adeo, ut viribus deficiens iterato in terram dolorosissime laberetur.

2) Quid aliud Jesus in via ad montem Calvariae sub cruce prostratus nobis, praecipue sacerdotibus, inculcat, nisi illa jam ante a se verba prolata: „*Qui mihi ministrat, me sequatur* (in via crucis et passionis), *et ubi ego sum, ibi et minister meus* (sacerdos) *erit?*"***) Jesus in via crucis et passionis, in hac via et ministrum seu sacerdotem esse oportet. Ego vero a via crucis aversus minime sequor Jesum, Do-

*) Ps. 83, 10. — **) Ps. 21, 6. — ***) Jo. 12, 26.

STATIO VII.



Secundus Christi lapsus.

Digitized by Google

Digitized by Google

minum meum, sed ad viam voluptatis conversus genio meo more laicorum indulgeo. O me infidelem ministrum! Detestor infidelitatem meam, redeo ad viam crucis, — ubi Dominus, ibi sit et servus. „*Vivit Dominus (vox est Ethai ad David), et vivit Dominus, meus Rex, quia, in quocunque loco fueris, sive in vita, sive in morte, ibi erit servus tuus.*“*) Eadem est et vox mea.

3) O Jesu, fili David! Ubicunque fueris, sive in horto Gethsemani sudans, sive in domo Caiphae tacens, sive in aula Herodis patiens contumelias, sive in praetorio Pilati flagella suscipiens, sive ad montem Calvariae crucem ferens: in quocunque loco fueris, ibi et ego servus et minister tuus ero; tecum in itineribus, tecum in aerumnis, tecum in vigiliis, tecum in jejuniis, tecum in fame et siti, tecum in frigore et nuditate, tecum in periculis et plagis, tecum in tribulationibus et angustiis, tecum in carceribus, tecum in passione, tecum in cruce, tecum in morte.

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) II. Reg. 15, 21.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis etc.**)
℣. Adoro te etc.

1) Videns Jesus fletum et lacrymas mulierum, in via ad montem Calvariae sibi occurrentium, dixit: „*Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.*"**)

2) Merito flebant mulieres illae dicente Christo: „*Super vos ipsas flete.*" Et ego non flebo super peccata mea innumera, propter quae tam acerba passus est Jesus, unigenitus Dei filius? O dulces lacrymae, quas ex oculis poenitentia et dolor peccati exprimit! Dulciores sunt lacrymae poenitentium, quam gaudia theatrorum, dulciores, quam risus et joci peccatorum, qui de poenitentia non cogitant, quibus minatur Christus: „*Vae vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis ibi, ubi erit fletus et stridor dentium.*"***)

3) Ab hoc fletu libera me, Domine Jesu Christe; ne fleam in aeternitate, fle-

---

*) Thren. 1. — **) Luc. 23, 28. — ***) Matth. 8, 12.

bo nunc in tempore super passionem tuam et delicta mea, quae tuae sunt causa passionis. Valete, laetitiae mundanae! A via voluptatum et laetitiarum aversus portabo posthac manipulum fletus et doloris, ut cum exsultatione recipiam aliquando mercedem laboris.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Christus crucem sibi bajulans dimanabat sanguine tum ex crucis concussione, tum ex verberum condensatione; ideo viribus exhaustus et cruciatibus obrutus tertia vice in terram prosternitur.

2) S. Petrus Martyr, ex ordine s. Dominici sacerdos, apud suum superiorem falso accusatus et ideo in exsilium relegatus, nocte quadam, cum ante crucifixi imaginem preces funderet et propter

---

*) Is. 53.

Digitized by Google

suum exsilium conquereretur: „*Domine, tu optime nosti de crimine mihi afficto me innoxium esse*“, mox Christum in cruce respondentem audit: „*Et ego, Petre, quid feci, ut cruci affixus fuerim?*“ Iisdem verbis et mihi loquitur sub cruce prostratus innocentissimus Jesus: „*Et ego, fili, quid feci, ut ad mortem crucis condemnatus fuerim?*“ Jesus enimvero nihil mali gessit, innocens patitur, ego autem, proh dolor! digna factis recipio, quidquid patior, sive contumelias et convitia, sive detractiones et sinistras taxationes etc. Haec omnia

3) O Jesu, merito et nocens patior, quia peccavi et malum coram te feci; tu vero quid fecisti? Peccavi nimis in vita mea, jam dudum aeternam adeo damnationem promeritus, amplius Domine, amplius pati paratum cor meum. „*Hic ure, hic seca, hic crucia, modo in aeternum parcas.*“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) S. Augustinus.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Priusquam carnifices cruci affigebant Jesum, detestanda crudelitate eidem vestes diripiunt.

2) Nunc apertius in corpore Jesu penitus nudato video ejus vulnera. Vestibus detractis una jam non cutis tantum, quae pridem flagellis cesserat, sed caro ipsa, quae sanguinis concreti quasi glutine ad vestem adhaerescebat, evelli frustratim, et sanguinis rivuli manare coeperunt. Stat Jesus toto corpore nudus, expositus undique frigido aëri, perfusus stillante cruore, laceratus vulneribus, oppletus doloribus, circumseptus tortoribus, vere jam non homo, sed vermis — sanguinolentos oculos hinc atque inde circumfert, ut videat, an sit, qui consoletur eum, et non invenit. Videt a tergore Matrem, sed ipsam doloribus oppressam; discipulum, quem diligebat, Joannem,

*) Is. 1, 6.

Digitized by Google

sed vix sui prae maerore compotem; pias mulieres, sed amaritudine plenas.

3) O Jesu! quam caro tibi constiti, quam te video amore mei in passione tua dilaniatum! Maledictum peccatum, quod tot dolores tibi causavit; crudele peccatum, quod tantum sanguinis tibi expressit! O ut peccato consensissem nunquam, sed super omnia illud detestatus essem! Detestabor saltem deinceps ex gratuito tui amore, o Jesu, firmiterque propono, mala quaelibet totius mundi subire, quam iterum peccato consentire, propter quod non dubitasti manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus cruci propediem affigendus ipsemet in crucem sibi dilectam supinus

---

*) Ps. 21, 17.

se inclinat, et brachia sua ad crucifigendum expandit.

2) Vix Jesus in crucem se inclinaverat, mox adsunt milites et injustitiae ministri, quorum unus alligata fortiter ad crucem manu dextera genibus barbaris divinum pectus premebat, alter validissimos intentat ictus, immiti clavo carnem et ossa perfracturus. Alii fune validissimo manui sinistrae injecto tanta vi trahebant eam ad praeparatum clavi foramen, ut ingenti hiaret spasmo vulnus manus dextrae, quo infanda crudelitas divellebat brachia, rumpebat arterias, discindebat membra nervosque, ac venas dilaniabat etc.; tam dolorosam crucifixionem sustinere voluit Deus homo pro peccatis meis.

3) Bone Jesu, ego peccavi, tu luis, servus meruit, et crucifigitur Dominus. Agnosco gratus charitatem tuam, et poenitens malitiam meam. In sinceri doloris confirmationem non addam deinceps super dolorem vulnerum tuorum, quae hactenus repetitis peccatis, proh dolor! toties renovavi. „*Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, sed iniquitatem meam ego*

Digitized by Google

cognosco, et peccatum meum contra me est semper.“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.* **)

℣. dAoro te etc.

1) Postquam Jesus in opere redemptionis omnia consummaverat, tandem spiritum suum in manus divini Patris commendatum inclinato emittit capite.

2) Nihil praestantius, pretiosius et sanctius spiritu Christi. Hic est spiritus ille, quem laudare debet omnis spiritus. Hic est spiritus, per quem spirant, ad quem adspirant, in quo respirant et respirabunt omnes beati spiritus tam hominum, tam angelorum. Tradidit Christus corpus suum potestati Judaeorum, ut illud omni crudelitatis carnificina cruciarent et occiderent; sed nullam in spiritum ejus saeviendi habebant potestatem, solum spiritum, ut eum in manus patris traderet, reservavit.

---

*) Ps. 50. — **) Phil. 2, 8.

Digitized by Google

3) O Jesu, tantine valet anima mea, ut ad eam salvandam anima tua, spiritus ille omnium nobilissimus, tam crudeli morte separanda fuerit a corpore! Egone tanti valeo, quanti sanguis tuus, quanti corpus tuum, quanti vita tua, anima tua et spiritus tuus? Absit a me, ut post tot impensas a te factas animam meam, spiritum tanto pretio a te emptum, stolida poenitentiae procrastinatione perdam. O Jesu! sicut moriens spiritum tuum divino Patri commendasti, sic vivens et moriens tibi commendo spiritum meum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Corpus Jesu de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Annuente Pilato, ut corpus Jesu de cruce deponeretur, Josephus ab Arimathaea in sinu Matris afflictissimae illud deponit.

---

*) Luc. 2, 35.

2) O quam tristis et afflicta fuit illa benedicta, aspiciens filium mortuum in sinu suo reclinatum! Revelatum est, B. V. Mariam in passione et morte filii sui triginta lacrymarum millia et nongentas profudisse. Tanta fuit afflictio virginis, testante s. Anselmo, ut, quidquid crudelitatis illatum est martyribus, leve fuerit, aut potius nihil comparatione passionis B. Mariae Virginis. Tantus fuit, teste s. Bernardo, dolor virginis, ut, si in omnes creaturas divideretur, omnes subito interirent. Et hanc divinae matris passionem toties renovavi, quoties peccavi!

3) Confiteor tibi Mater, Domina coeli et terrae, quia non sum dignus videre altitudinem coeli, quia peccavi in filium tuum. Ego peccavi, filius tuus luit; vulnera, quae vides, ego peccator filio tuo inflixi. O Mater, impetra mihi apud dilectum filium tuum veniam peccatorum; memento, ut loquaris pro me bona et avertas indignationem filii tui a me peccatore!

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. „*Et sepulchrum ejus erit gloriosum.*“ *)

℣. Adoro te etc.

1) Maximo cum dolore, moerore et tristitia comitantium discipulorum et discipularum sepultum fuit corpus Christi exanime.

2) Ego vero, si hodie sepelirer, quis indoleret? quis lugeret et tristaretur? De pulice mortuo quis indolet? Nonne ego me justius quam David *pulicem unum* **) appellarem? Nonne mea vita aliis molesta potius, quam utilis est? Numquid sanguini avidius, quam animabus inhio? an tristiorem jacturam mundus ex morte mea, quam ex morte pulicis pateretur?

3) O Jesu! merito in tua morte et sepultura omnes creaturae luxerunt, me vero fors brevi morituro lugebit nemo,


---

*) Is. 11, 10. — **) I. Reg. 24, 15.

Digitized by Google

fors ego solus, in inferno perpetuam mortem meam deploraturus. A tali morte per mortem et sepulturam tuam libera me, Domine Jesu Christe!

Per crucem etc. Pater noster etc.



Digitized by Google

Praxis sexta.

STATIO I.

Christus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)
℣. Adoro te etc.

1) Judex iniquus Pilatus contra Jesum innocentissimum pronuntiat mortis sententiam, quam demisso capite, facie pallida, vinctus manibus, circumdatus lictoribus, veluti agnus mansuetus suscipit.

2) Sed veniet aliquando dies, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde, in qua Jesus, ex agno mutatus in leonem, totum orbem judicaturus veniet. O quam totus diversus erit Jesus judicans ab illo, quem hic a Pilato

---

*) Ps. 93, 21.

Digitized by Google

judicatum video! Tunc in illa die non erit caput ejus demissum, sed erectum ad terrorem et majestatem. Tunc in illa die non erunt manus vinctae et ligatae funibus, sed armatae fulminibus. Tunc non erit facies ejus pallida, non coronata spinis frons, non corpus lividum, sed vultum accendet zelus, caput radii ornabunt, corpus splendor gloriae vestiet. Tunc non erit stipatus lictoribus, sed mille angelorum millibus. *Tunc quid faciam ego peccator, cum surrexerit ad judicandum Deus, et cum interrogaverit, quid respondebo ei?* *) Imo omnis facundia, qua nunc polleo ad excusandas excusationes in peccatis, **) tunc destituet me, nec respondebo unum pro mille. Proh coelum! judicandus ab hominibus Deus coepit pavere, non pavet homo judicandus a Deo.

3) Enimvero paveo, o Jesu! et prae pavore futuri judicii jam nunc in tempore accepto, quo necdum judex ex nube splendes, venio ad te pavidus, moestus, moesta voce moestum illud carmen occinens cum

---

*) Job 31, 14. — **) Ps. 140, 4.

sponsa tua, matre mea, Ecclesia: „*Juste judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis.*“

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.**)

℣. Adoro te etc.

1) Vix Pilatus Jesum ad mortem crucis condemnaverat, cum ecce crux ipsa profertur et in conspectum adducitur, quam Jesus cum maximo gaudio suscipit in humeros et ad montem Calvariae portat.

2) Tam prompte Jesus portat suam crucem gravissimam, ego vero meam longe leviorem laborum, molestiarum, difficultatum et adversitatum in officio pastorali occurrentium ne digito quidem tango, vel in alienos cooperatoris humeros transfero. Quid? si mihi ostenderetur crux lignea, satis quidem gravis, quae tamen intus auro, argento et gemmis pretiosis plena esset, promittereturque do-

*) Is. 53, 7.

Digitized by Google

natio illius, si eam ad certum locum portarem; an non promptissime hanc crucem susciperem? alteri portandam certe non relinquerem? Quanto promptius ergo in me suscipere et portare oportet crucem mei officii pastoralis, utpote quae auro divini beneplaciti, argento ingentium coelestium meritorum, gemmis pretiosissimis animarum mihi commissarum plena est!

3) O Jesu, qui tam prompto et laeto animo suscepisti crucem, optime vero nosti imbecillitatem meam, qua crucem refugio. *Spiritus meus quidem promptus est* ad portandam crucem, *caro mea vero infirma.**) Movente se in officii functionibus aliqua molestia, ingruente adversitate, apparente difficultate, exsurgentibus adversariis, continuo fractus subtraho humeros cruci utut spiritualibus copiosis thesauris refertae. At tua, o Jesu, passio confortabit me posthac, ut cuncta in officio pastorali patienter et constanter perferam propter te, qui longe graviora pertulisti pro me.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Marc. 14, 38.

Digitized by Google

STATIO III.

Jesus prima vice cadit.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Deliquium virium patitur Jesus in via ad montem Calvariae crucem bajulans: non mirum, quod sub crucem dolorosissimo lapsu in terram cadat.

2) Tantos, tam atroces, tam graves cruciatus propter peccata mea patitur Jesus, et tamen a peccatis non resipisco! Desine, o Jesu, plura pro me pati! quis enim fructus? quae utilitas passionis tuae in me? Pateris tanta, ut mihi iratum patrem tuum places, et eundem novis peccatis ad iram quotidie provoco. Pateris tanta, ut mihi coelum aperias, interea mihimet quotidianis peccatis infernum resero, coelum claudo. Pateris tanta, ut me ad amorem tuum allicias, nihilominus cuivis voluptati spurcae, momentaneae te postpono. Verum cui ego haec ingemino? Deo infinite me amanti, qui, licet sciat

---

*) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

et sentiat perfidiam meam, dissimulat tamen, seque amore mei patitur cruciari. Ah! anima mea, quando tandem agnosces Dei patientis in te amorem? quando tandem sanguine Dei hominis tam copiose effuso cor meum induratum emollietur ad poenitentiam?

3) Emollitum est cor meum, o Jesu afflictissime, emollitum est, tuum in me amorem agnosco, quem abunde demonstrasti in passione tua! qualem infero consequentiam? non aliam, nisi hanc: reciproce deinceps te amabo, peccata et quidem omnia tui amore vitabo, ut passionis tuae fructum jugiter sentiam hic in tempore, ibi in aeternitate.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Christus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Maria obviat filio crucem bajulanti, dolet filius extrema patiens, condolet ma-

*) Job 16, 17.

Digitized by Google

ter, ejusque animam pertransit doloris gladius.

2) Nunquam fuerunt, nec unquam erunt duae majoris ac excellentioris dignitatis personae, quam Jesus et Maria, nec ulli unquam magis a patre divino dilecti. Proh, quales personae, Jesus et Maria! ille Rex regum et Dominus dominantium, haec Regina sanctorum omnium! Ille filius Dei, haec mater Dei. Et tamen ille tantus in cruce, haec tanta juxta crucem, neuter sine cruce, neuter sine passione. Quid hoc est? Ergo nulla salus, nisi per crucem. „*Si oportuit pati Christum et ita intrare in regnum suum*;“ *) si oportuit pati Mariam et ita intrare in regnum filii sui; si oportuit tantum Regem, tantam Reginam, filium Dei et matrem Dei pati et sic pati: qua ratione ego nihil patiens, crucem omnem abhorrens intrabo in regnum alienum?

3) O Jesu! o Maria! magna est velut mare contritio vestra. Cum te, o Jesu, in cruce, te, o Maria, juxta crucem video,

---

*) Luc. 24, 26.

Digitized by Google

nolo posthac vivere sine cruce, ut per crucem et mortem illuc perveniam, ubi vobiscum regnabo in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Nemo ex amicis et notis ex gente Judaeorum, nullus erat, qui lassato salvatori crucem de humeris tolleret. Igitur coëgerunt milites hominem quendam alienigenam, Simonem nomine, ut crucem post Jesum portaret.

2) Homo quasi alienigena fui ego in statu laicali; quid mirum, quod tunc cum illo Simone alienigena crucem cane pejus et angue horruerim et sedens ad ollas carnium concupiscentias meas expleverim? At nunc inter sacerdotes, commensales, amicos et domesticos Jesu Christi connumeratus et ad curam animarum vocatus

*) Ps. 68, 21.

Digitized by Google

quod adhuc meas commoditates quaeram, quaelibet adversa et in cura animarum occurrentia incommoda horream, crucem post Jesum uti Simon alienigena ferre recusem, hoc mirandum non tantum, sed etiam summe dolendum est.

3) Immo de hoc, o Jesu, jam summopere doleo, paratus cruci meos subjicere humeros! Post te portabo crucem, et adversa omnia non invitus, sed libens lubensque perferam. Non aliam expeto viam, nisi viam crucis, non aliam mortem, nisi mortem crucis, in cruce vivere et mori exopto.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Piissima Veronica ex commiseratione Christo patienti porrigit sudarium, quo abstergere faciem suam posset, quae

---

*) Is. 53, 3.

foedum in modum sputis, sudore, sanguine deformata erat.

2) Video hic illam faciem foedissime maculatam, quae clare visa omnis felicitatis est vertex. ,Si interrogo s. Martyres, qui cruces, rotas, sartagines, vincula, catastas, flagella, scorpiones, tormenta prope infinita pertulere, quid sibi optent ad felicitatem? Si interrogo Confessores et Anachoretas, qui reliquerunt domum, patrem, matrem, agros, bona omnia fortunae, quid sibi optent ad felicitatem? quid sibi postulent in mercedem? Si interrogo virgines, quae deo tanta contra concupiscentiam lucta illibatam pudicitiam conservarunt, quid sibi optent ad felicitatem? Si interrogo angelos, quin etiam daemones: quid, si illis fas esset optare, quid sibi postularent ad felicitatem? Omnes in coelo angeli et sancti, omnes in terra homines, omnes in inferno daemones hoc unum peterent a Christo, quod petebat David: „*Ostende faciem tuam, et salvi erimus.*“ *) Satis est ad nostram felicitatem videre faciem Christi.

---

*) Ps. 79, 8.

Digitized by Google

3) Hoc et meum, o Jesu, et unicum votum est! ostende faciem tuam, et salvus ero. Quia ultra, quod velim et optem, superest nihil. Reliqua omnia absconde, satis est, si ostendas mihi faciem tuam, visa tua facie merito potero praenuntiare verba illa: „*Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.*"*)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Altera jam vice in terram cadit altissimi Dei filius, novisque vulneribus saucius impiissimorum nebulonum pedibus proteritur.

2) Vere hic de se cum propheta regio dicere potest Jesus in terra jacens: „*Humiliatus sum nimis.*"***) Humiliatus in nativitate, humiliatus in morte. Nascens vagit in foeno, moriens gemit in ligno. Nascens ponitur in stabulo, moriens ster-

*) Gen. 32, 30. — **) Ps. 21, 7. — ***) Ps. 37, 9.

nitur in patibulo. Nascens vinctus est pannis, moriens vinctus est catenis. Nascens humiliatur usque ad praesepe jumentorum, moriens usque ad pedes lictorum. Vere humiliatus nimis Sacerdos summus et pontifex Jesus. Sed quia

3) Te, o Jesu, humiliasti usque ad probrosum illud crucis lignum, immo usque ad pedes infamium nebulonum, sub quibus pronus in terra jaces, ideo deus pater exaltavit te et dedit tibi nomen, quod est super omne nomen. O Jesu, nomen suavissimum, quia pascis; o Jesu, nomen splendidissimum, quia illuminas; o Jesu, nomen jucundissimum, quia delectas! O Jesu, esto mihi Jesus et salva me!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Pias mulieres lacrymantes allocu-

---

*) Thren. 1, 12.

Digitized by Google

STATIO VIII.



Mulieres lacrymantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

tus est Jesus: *„Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.“*

2) His verbis, inquit Masenius, Christus mulieres sibi condolentes et flentes ad inferni poenas jubet respicere, nec extremos suos cruciatus aestimat his comparatos. Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, dicit mulieribus Christus, et super filios vestros ad inferni poenas damnandos, quas meis vix aestimo comparandas. Iisdem fere verbis alloquitur Jesus sacerdotes illos infelices, qui cum multis suorum parochianorum aeternum peribunt. Nolite flere super me et super cruciatus meos, sed super vos ipsos flete et super filios (parochianos) vestros vobiscum ad inferni poenas damnandos. Nec enim Jesus extremos suos cruciatus aestimat sacerdotum damnatorum cruciatibus comparatos.

3) O Jesu, saepius jam quidem propter peccata mea aeternam adeo meruissem damnationem. te tamen iniquitates meas portante ab illa aeternae damnationis voragine hactenus praeservatus fui. Verum

Digitized by Google

o quam profunda *abyssus judicia tua*, *) quae timeo, quia justa. Hoc timore confige carnes meas. **) *Hoc timore confixus* die ac nocte flebo super peccata mea, ne veniam in locum illum tormentorum, *ubi erit fletus et stridor dentium.* ***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.* †)

℣. Adoro te etc.

1) Christns crucem sibi bajulans totusquantus dimanabat sanguine, ex sanguinis vero effusione adeo viribus erat exhaustus, ut tertia vice in terram caderet.

2) Aspiciens Christi sub cruce lapsi manantem in terra sanguinem audio maestam, flebilem et querulam ejus vocem: „*Quae utilitas in sanguine meo*!“ ††) Vox haec fuit quondam David, sed eadem nunc est filii David. Hic sanguis sufficiebat, ut omnes salvarentur homines, et tamen

---

*) Ps. 35, 7. — **) Ps. 118, 120. — ***) Matth. 8, 12. — †) Is. 53. — ††) Ps. 29, 10.

Digitized by Google

salvandorum pusillus est grex, pauci electi.*) Quis non miretur tot hominum perditionem post tam copiosam redemptionem! Quae utilitas in sanguine Dei hominis? nulla utilitas ex tot lacrymis et sudoribus, nulla utilitas ex tot vulneribus, plagis, flagellis, nulla ex tota passione, morte et sanguine usque ad ultimam guttam profuso, nulla utilitas sanguinis divini in tot animabus, quae culpa, incuria et negligentia sacerdotum pereunt.

3) O Jesu! quae utilitas in sanguine tuo? imo vero quae utilitas sanguinis tui foret? quam utilitatem, quem fructum ex tuo sanguine, passione et morte haberes, si alii sacerdotes me zelosiores et meliores non forent? O me ignavum sacerdotem! detestor jam ignaviam et socordiam meam. Non sum ordinatus pro me, sed pro animabus eorum, quos tradidisti mihi. O quam pretiosae animae, quia pretio sanguinis tui emptae! Has emisti, o Jesu, crucem passus; omnem impendam operam, ut in nulla sit tantus labor cassus.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Matth. 20, 16.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Postquam Christus cum cruce ad montem Calvariae pervenerat, haustum vini consuetum, ultimo supplicio afficiendorum confortamentum impii Judaei Christo negant illumque vestibus exuunt.

2) Adeo nullam habet terrenam refocillationem moriens Deus. Ego vero corpus meum flagitiosissimum vino optimo et abundantissimo replere soleo. In manibus meis frequentior est crater bacchi, quam codex sacer, potens sum *ad bibendum vinum* et ad *miscendam ebrietatem*,**) totus deditus compotationibus et evacuandis poculis. Et ubi incalui vino, volutor in cubilibus et impudicitiis, per quas jam toties Jesum vestibus exui. Utinam me reum mea non argueret conscientia! Quando acriores expertus sum libidinis stimulos, haud parum abfuit, quin laberer,

---

*) Is. 1, 6. — **) Is. 5, 22.

Digitized by Google

quam ubi vino madens cognatam baccho expertus sum venerem?!

3) Confundor, o Jesu, memor turpitudinum et flagitiorum meorum. In reverentiam sitis illius, qua moriens cruciabaris, firmissimum jam concipio propositum, omnem excessum in potu et abundantiam *vini, in quo est luxuria*,*) imposterum vitandi, gulae et libidinis tentationes fortiter supprimendi. Absit a me, o Jesu, tantum nefas! Nunquam amplius vestibus tuis te exuam, nunquam amplius peccando te confundam, ne tu me cum turpibus carnis mancipiis confundas in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Innocentissimum Salvatorem vestibus suis penitus nudatum, sed sanguinis sui purpura totum depictum, vulneribus

---

*) Ephes. 5, 18. — **) Ps. 21, 17.

plenum, a dira flagellatione et crucis bajulatione viribus exhaustum, in crucis trabem cum tumultu prosternunt, ligantur manus pedesque funibus, extenduntur brachia, pedes una cum manibus crucis trunco ferreis clavis affiguntur.

2) Audis, o anima mea, ferales malleorum ictus! vides erumpentem ex novis vulneribus sanguinem! obstupescis ossa laxata omnia, venas et nervos omnes e situ sibi conveniente deturbatos! an tantam lanienam Jesus promeruit? Manus pedesque, qui cruci affiguntur, nullius unquam malitiae, sed semper beneficentiae instrumenta fuerunt. Manus aegris imposuit, ut illos sanaret. Pedes montes et colles percurrendo fatigavit, ut veritatem evangelicam praedicaret. Non igitur ipsi haec laniena debetur, debetur vero mihi, qui extendi manus meas ad peccandum et meis pedibus viam malitiae cucurri.

3) O Jesu crucifixe, et mei amore crucifixe! Haec audio, et necdum prae dolore deficio; haec intelligo, et necdum prae amore ardeo; haec credo, et necdum prae horrore concido. Quid ad testandum

Digitized by Google

tuum in me amorem potuisti facere et non fecisti? quid potuisti perferre et non pertulisti? Si necdum amem amantem, et sic amantem, dignus sum, qui odium sim coeli, odium terrae, odium inferorum, odium daemonum, odium hominum, odium omnium. *Si quis te, o Jesu, non amat, anathema sit.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Per tres horas Jesus in cruce cum morte luctatur, tandem prae magnitudine inexplicabilium dolorum et cruciatuum desinit vivere et moritur.

2) Ut ego homo non morerer, moritur Deus, desinit vivere justus, ut ego peccator vivere incipiam. Vivam ergo posthac, imo non vivam ego, sed vivat in me Christus, qui pro me est mortuus. „*Vi-*

---

*) Cor. 16, 22. — **) Phil. 2, 8.

Digitized by Google

vo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.“ *)

3) Tu, o Jesu, vive posthac in me! Non amplius vivat in me caro, non amplius vivat in me mundus, superbia, avaritia, luxuria etc., vivat vero in me tua humilitas, tua castitas, tua mansuetudo, vivat in me tua patientia, tua modestia et tua temperantia. Tu, o Jesu, vive in corde meo, vive in oculis, vive in manibus, vive in auribus, vive in tota mente mea, in tota voluntate mea, in tota anima mea. Vivo ego, jam non ego, tu totus vive in me toto, pro quo mortuus es in cruce.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.**)*

℣. Adoro te etc.

1) Postquam Jesus in cruce emisit spiritum, a Josepho et Nicodemo deposi-

---

*) Gal. 2, 20. — **) Luc. 2, 35.

tus fuit de cruce et in sinu matris afflictissimae reclinatus.

2) Vulnerat animam matris doloris gladius, cum videt vulnera filii sui in sinu suo reclinati. O afflicta mulier! Quis medicus tua vulnera curabit, cum jam ille, qui sanabat omnes, sit mortuus? Quis te consolabitur suspirantem, siquidem ille, cujus causa suspiras, jam exspiravit? O quale mysterium, videre filium derelictum a patre, et matrem derelictam a filio, filium inter extremos dolores mortuum, matrem prae extremo dolore vix viventem. Sic nempe oportuit, filium cum matre pati, imo et mori, ut intraret in gloriam suam, et ego refugio pati, ut intrem in gloriam alienam?

3) O Jesu, inclina cor meum ad patiendum in hoc saeculo, haec mihi sit consolatio, tecum vulnerari, tecum injuriari, tecum despici, tecum pati, ut tecum intrare merear in gloriam. „*Non enim sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Rom. 8, 18.

Digitized by Google

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Dum corpus Jesu de cruce depositum honorifice sepulturae mandatur, interim ejus anima omnis doloris et tristitiae expers ingenti gaudio et gloria perfusa, magno angelorum comitatu stipata, consortio sanctorum patrum in paradiso fruitur.

2) Ubi vero erit anima mea, quando corpus meum sepulturae mandabitur? ubi erit? an in paradiso inter angelos? vel in inferno inter daemones? Sacerdos sepeliens orabit quidem: „*Occurrite, angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi, suscipiat te Christus, qui vocavit te et in sinum Abrahae deducant te angeli etc.*“ Quo deducent post mortem animam meam angeli? habeo enimvero, unde metuam mihi. Nam si hodie morerer, in quo choro sanctorum vel meo proprio judicio collocari mererer? inter virgines? ego? Ah memini, quan-

*) Is. 11, 10.

Digitized by Google

tillus puer et tantus peccator! Inter martyres? ego, qui ne pati cogar, officium pastoris saepe negligo, adversa quaelibet formido. Inter apostolos? ego, qui forte plures animas diabolo, quam Christo lucratus fui. Inter confessores? ego? ubi talenta, quae acceptis superlucratus sum? Inter poenitentes? ego, qui ad vocabulum poenitentiae contremisco? Qualem poenitentiae faciem exhibet vita mea otiosa et deliciosa? O peccatum, o peccatum, quod unicum me a coelo, a paradiso, ab omnibus sanctorum choris excludet: ergo ut saltem a choro poenitentium non excludar aeternum, poenitentiam agam, seram quidem, sed seriam.

3) O Jesu, cujus corpus in sepulchro, anima vero in paradiso erat, per mortem et sepulturam tuam te rogo, quando corpus meum olim morietur, fac, ut animae donetur paradisi gloria.

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

Praxis septima.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)
℣. Adoro te etc.

1) *Confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum scribis et senioribus et universo concilio, vincientes Jesum duxerunt et Pilato tradiderunt,***) a quo post multas accusationes, licet falsas, Jesus judicatur et iniquissime ad mortem crucis condemnatur.

2) In multis accusabant Jesum summi sacerdotes coram Pilato: „*Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. Hunc invenimus prohibentem tributa dare Caesari.*"***) Invenimus hunc dicentem, se Chri-

*) Ps. 93, 21. — **) Marc. 15, 1. — ***) Luc. 23, 2.

Digitized by Google

stum regem esse etc., sed omnes hae accusationes erant fictae et falsa contra Jesum testimonia. At unum superest, o Jesu, in quo cum veritate te accusem: te inveni, quod *charitate nimia me dilexeris.* Sciebas me post tantum amorem mihi exhibitum fore perduellem, post tot beneficia in me collata ingratum, post tot supplicia pro me tolerata impium, post tot favores in me congestos perfidum, et diligebas me, — est charitas nimia. Sciebas me texere, quibus te ligarem, funes; colligere, quibus te flagellarem, virgas; parare, quibus te coronarem, spinas; cudere, quibus te perforarem, clavos; fabricare, cui te affigerem, crucem, et diligebas me — est charitas nimia.

3) Vere, o Jesu, charitate nimia dilexisti me, qui, ne ad mortem condemnarer ego, ab iniquo judice ad mortem voluisti pro me condemnari! Hoc unum inveni, in quo te accusare possum. Ego vero pro hac dilectione reddidi tibi odium, quoties peccavi. „*Obstupescite coeli super hoc, et portae ejus desolamini vehementer.*“ **)

*) Ephes. 2, 4. — **) Jerem. 2, 12.

Digitized by Google

Haec dies statuat finem peccatis meis. Satis diu, o Jesu, te odio habui, reddam amorem pro amore tuo; amore solo dona me, ut ego quoque amem te, et vigil, et per somnia; haec dando dabis omnia.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Christus funibus vinctus, spinis coronatus, lacrymis perfusus, sudore madidus, sanguine cruentus, viribus exhaustus, plagis lividus, vulneribus plenus, frigore tremulus, ab omnibus desertus, in atrio Pilati saxo insidens crucem exspectat, quam propediem carnifices ejus humeris imponunt.

2) Sistite carnifices, non humeris Jesu innocentissimis, sed meis crucem imponite! Ego sum, qui merui crucem; quid enim non meruit, qui ad infernum dam-

*) Is. 53, 7.

Digitized by Google

nari meruit? O quam multa delicta et ignorantiae juventutis meae, quibus eheu toties rogum infernalem promerui, et necdum in eo ardeo!

3) O Jesu, refugium meum et consolatio mea! ad te moerens et dolens venio, *recogitans annos meos et delicta mea in amaritudine animae meae.**) *Nisi quia tu adjuvisti me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.***) Misericordiae tuae debeo, quia non sum consumptus. Perge misereri mei, Deus, et salva me!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus prima vice labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.****)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Jesus crucem in suos sacrosanctos suscepisset humeros et illa onustus ad montem Calvariae pergeret, prima vice dolorosissimo lapsu in terram cadit.

2) Labitur Jesus sub pondere crucis

---

*) Is. 38, 15. — **) Ps. 93, 17. — ***) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

in terram, ne labar ego in peccatum. Enimvero a peccati lapsu cum etiam sacerdotes non sint exempti, habeo, unde metuam mihi. Sacerdotem quemcunque circumstant pericula lapsus plurima; pericula a mundo, pericula a carne, pericula a daemone; neque enim cum veste laicali hominem exuit neoordinatus sacerdos. Felices animae religiosae! vos in navi estis, nos vero sacerdotes in saeculo cum Petro nostro ambulamus super mare, quod saepe a validis ventis turbatum decumanos fluctus attollit; quis evadet, nisi ille, cui Jesus sicut Petro manum porrigit?

3) Domine Jesu, salvum me fac, sicut salvasti Petrum in mari. Per tuum dolorosissimum sub cruce lapsum te rogo, praeserva me in tot saeculi periculis a lapsu illius praesertim peccati, quod multis sacerdotibus fatale est. Meus es tu, ita alloqueris me per Prophetam tuum regium; si ergo tuus sum, dicam cum eodem Propheta: „*Tuus sum ego*, (in tot peccati periculis) *salvum me fac.*" *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Ps. 118, 94.

Digitized by Google

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Occurrit mater afflictissima filio suo dilectissimo in cruce morituro, ab amplexu tamen ejus arcetur; filius a matre, mater a filio violenta rabie militum avellitur.

2) Nemo facile verbis exprimet tum Christi, tum Mariae in hac avulsione dolorem, nisi mente assequatur mutuum inter eos amorem. Nunquam sic Jacob Josephum, Josephus Benjaminum, Jonathas Davidem dilexit, sicut Christus diligebat suam matrem. O quantus ergo in hac avulsione utriusque dolor! Jesus avulsus a matre tacito eam alloquebatur aspectu, Maria solis respondebat lacrymis, quia vehementia doloris et matri et filio intercluserat vocem. Abibat cum cruce pedentim Christus, vix passibus aliquot fuerat progressus, jam iterum ad dilectam matrem sua lumina torsit. Jam prope fugiebat optatissimum ejus conspectum, ite-

*) Job 16, 17.

Digitized by Google

rum respexit. Resonat platea tota mutuis suspiriis, plangit Jesus, plangit Maria, plangentibus assonat echo:

3) „O Jesu, vir dolorum! O Maria, omnium matrum dolorosissima! Ego peccator sum causa vestri doloris. Vulneratus es, o Jesu, propter iniquitates meas, attritus es propter scelera mea. Quot commisi peccata, tot gladiis, o Maria, cor tuum sanctissimum transfixi. Sed quia tu, o Jesu, es Salvator peccatorum, tu, o Maria, refugium peccatorum, ideo plenus spe confugio ad te, o Maria; per Mariam venio ad te, o Jesu; in hora mortis meae voca me et jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum."

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Simon Cyrenaeus, quia crucem Je-

*) Ps. 68, 21.

su ferre noluit sponte, debuit ferre coacte: „*Angariaverunt praetereuntem quempiam, Simonem, venientem de villa, ut tolleret crucem ejus.*“ *)

2) Quod Simoni contigit, et mihi et cuilibet homini contingit. Quis est, qui habeat omnia secundum suam voluntatem? Nullus hominum super terram, sive clericus, sive laicus; nemo est, inquit Kempensis, sine cruce sive aliqua tribulatione, quamvis rex vel papa sit. Disponat et ordinet homo omnia secundum suum velle et videre, et non inveniet, nisi semper aliquid pati debere, aut sponte, aut invite, et ita crucem semper inveniet. **) Deus est, qui crucem imponit, hanc si non fero sponte et patienter, feram tamen cum Simone vel invitus et coactus. Si invite porto, onus mihi facio, et me ipsum magis gravo, et tamen oportet, ut sustineam. Si abjicio unam crucem, aliam procul dubio inveniam, et forsitan graviorem. Si vero libenter crucem porto, portabit et me ad desideratum finem beatitudinis

---

*) Marc. 15, 21. — **) Thomas Kemp.

Digitized by Google

aeternae, ubi finis patiendi erit, quamvis hic non erit. „*Certa*", inquit s. Leo papa, „*et secura est exspectatio promissae beatitudinis, ubi est participatio Dominicae passionis.*"

3) O Jesu! agnosco communem patiendi necessitatem, omnibus hominibus impositam; crucem, quam divina tua bonitas mihi imponit, portabo tecum posthac non invite, sed patienter, ut portet et me ad desideratum finem beatitudinis aeternae.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Devotissima Veronica cum videret Christi faciem sputis, vulneribus et plagis deformatam, capiti suo velum detraxit et Christo porrigit, quo injuriosas faciei sacrosanctae maculas abstergeret.

2) *Quid sunt plagae istae***) in facie sa-

---

*) Is. 53, 3. — **) Zach. 13, 6.

crosancta? quid sunt, nisi meae luriditates, festinationes, distractiones etc. sub Sacri celebratione, divini officii recitatione ceterisque sacris functionibus? His enimvero faciem Jesu toties commaculavi. De omnibus sine discrimine, qui peccata gravia committunt, loquitur Apostolus: „*Rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei.*" *) An non de me et mei similibus sacerdotibus, qui ad aram in functionibus sacris incomposite, luride, praecipitanter, cum adstantium scandalo, se habent, eadem cum veritate dici posset: „*Rursus commaculantes sibimet ipsis faciem filii Dei*"? Inter hos, proh dolor, et ego sum, jam dudum promeritus fulmen illud prophetae: „*Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.*" **) Verum jam nunc

3) Poenitet me, o Jesu, de omnibus in re divina commissis irreverentiis, innumeris negligentiis et luriditatibus meis, quibus tuam sanctissimam faciem, *in quam desiderant Angeli prospicere*, ***) hactenus commaculavi. Devotio mea imposterum abs-

---

*) Hebr. 6, 6. — **) Jer. 48, 10. — ***) I. Petr. 1, 12.

terget omnes maculas sanctissimae faciei tuae, *ne tu me projicias a facie tua*)* in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis, et non homo etc.**)*

℣. Adoro te etc.

1) Extra portam, quae judiciaria dicitur, grave denuo patitur Jesus deliquium; et dolorosissimo lapsu in terram cadit.

2) Si huic tragoediae Christi patientis adfuissem ego, condoluissem sane Christo, jam iterum sub cruce prostrato, omnemque movissem lapidem, ut eum Judaeorum saevitiae subtraherem, aut saltem pro viribus conatus fuissem, ne Jesus, Dei filius, tam crudeliter tractaretur. At vero hodie quam plenus est mundus nequissimis hominibus, qui suis peccatis rursus Dei filium crucifigunt, in terram prosternunt et tragoediam passionis repetunt! Ego autem, qui praesum, cur tot

---

*) Ps. 50, 13. — **) Ps. 21, 7.

Digitized by Google

scelera conniveo; cur non saltem in meis subditis parochianis pro possibili conor impedire; et si fors ea impedire non possum, cur non saltem propter tot offensas et peccata Deo condoleo ad exemplum zelosi illius et sancti sacerdotis Xaverii ad Mansillam scribentis: „*Taedet me interdum vivere, ac satius esse arbitror, mortem pro religione oppetere, quam in tot tantisque divini Numinis offensis et contumeliis vivere, cum praesertim eas non possim non videre, prohibere non possim.*“

3) O afflictissime Jesu! condoleo tibi propter tot inundantia scelera, quibus in dies a male moratis et petulantibus Christianis, imo et a subditis et parochianis meis tam graviter offenderis rursusque crucifigeris. O utinam omnia peccata totius mundi impedire possem, quam libenter id facerem; mille vitas, si haberem, profunderem! O utinam saltem in me meisque non amplius regnaret peccatum! Tu, o Jesu crucifixe, regna posthac in me meisque, ut tecum regnemus in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Mulieres, intuitae Christum bajulantem crucem, tanto commiserationis affectu commotae sunt, ut copiosas lacrymas ex pia commiseratione profuderint.

2) Profecto hae mulieres lacrymantes me sacerdotem confundunt, et in compassione erga Jesum patientem longe superant. Superi! qualis confusio? Innumeros hodiernis ex laicis si considero, quanta in multis hodie fervet devotio, et ego frigeo! Quam sunt misericordes, munifici, charitatis erga proximum studiosi, et ego obdurui! Quanta viget in laboribus alacritas, in molestiis patientia, in adversitatibus fortitudo, et ego succumbo! Surgunt laici, surgunt indocti, et regnum coelorum rapiunt, ego vero sacerdos et literatus torpeo, pro coelo vix pedem de terra moveo, genio meo indulgeo etc.

---

*) Thren. 1, 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

STATIO IX.



Tertius Christi lapsus.

Digitized by Google

O pudor! o dolor! o character ordinis sacerdotalis, in quam indignum hominem incidisti! vehementer, dicente s. Hieronymo, destruit ecclesiam Dei, meliores esse laicos quam clericos.

3) Confundor totus, o Jesu, cum tot laicos me meliores adspicio! Scio, talenta prae laicis mihi data me non salvant, sed damnant, si in tui offensam applicantur, aut cum servo nequam negliguntur. Ideo unxisti me in sacerdotem, ut ferventius laicis amarem te. Da, ut dignus sim amare te aeternum, et defectum, quem commisi in tempore, supplere in aeternitate.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Vix Jesus coepit ascendere montem Calvariae, subito viribus destitutus, prope exanimis, tertia vice sub crucis pondere in terram labitur.

---

*) Is. 53, 5.

Digitized by Google

2) Jacet iterum Jesus sub pedibus lictorum, sine dubio tacite secum ingeminans illa Prophetae verba: „*Quid est, quod ultra debui facere vineae meae, et non feci?*" *) ac si diceret: „*Quid est, o sacerdos, quod ultra ad te salvandum debui facere, et non feci? cum essem in coelo, descendi propter te in terram.* Cum essem Deus, propter te factus sum homo, suscepi omnia, quae sunt infirmitatis humanae. Pro te esurivi et sitivi, jejunavi et vigilavi. Quid est, quod ultra debui facere, et non feci? Amore tui pertuli vincula et verbera, alapas et opprobria, offusi lacrymis oculi, lividae genae, evulsi capilli, caro discissa, apertae venae, cutis lacera, patent viscera, hiant vulnera, totum corpus opertum est sanguine, ex ore, naribus, oculis cruoris exundant rivi. Quidquid habui, dedi; quidquid potui, pertuli; quidquid valui, feci. Reliqui tibi carnem meam in cibum; sanguinem in potum, sacramenta omnia in pharmacum. Quid est, o sacerdos, quod ultra ad te salvandum debui facere, et non feci?"

*) Is. 5, 4.

3) Nihil superest ultra, o Jesu, quod debuisti facere mihi, et non fecisti! Ego vero tibi quid faciam? O cur non habeo tantum amoris, quantum spiritus Seraphici et omnes coelites! O utinam haberem tot corda, quot sunt in coelo stellae, in igne scintillae, in mari guttae, in libris literae, ut omnibus illis te super omnia possem amare! O Jesu! Deus! Deus! tu totus, totus meus; sim ego totus tuus, nunquam, nunquam meus.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis usque ad verticem etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Tam crudeliter barbari carnifices cum Jesu innocentissimo in monte Calvariae agunt, ut ei summa cum violentia vestes detraxerint, ille vero nudus coram ingenti hominum multitudine stare coactus fuerit.

---

*) Is. 1, 6.

Digitized by Google

2) Sistite, impii carnifices, nec Christo sacrilegas manus injicite; ipse enim innocens est et sanctus sanctorum, qui vestem innocentiae nunquam exuit, sed bene omnia fecit. Non igitur nudus ad supplicium ultimum raptari meruit, sed merui ego, qui toties vestem nuptialem gratiae divinae abjeci, quoties in peccatum grave consensi. O meam impudicitiam! vix audeo illam cogitare. Tantum enim est illud, quod cogito, flagitium, ut vix sine flagitio possit cogitari; sed mihi bene intelligenti, et male facienti, pauca.— Nudabor posthac, sed amore pudicitiae cum Josepho tuendae, qui, dum vestem exuit, crimen excussit, et relicto, quo detinebatur, pallio, spoliatus quidem, sed non nudus *aufugit*,*) qui jam erat tectior indumento pudoris, quam pallio tergoris. Non est nudus, nisi quem culpa nudaverit gratia. Tu vero,

3) O Jesu, nudari voluisti in monte Calvariae, ut me indueres veste nuptiali gratiae. Nudus es, omnibus etiam propriis spoliatus vestibus, nihil tibi retinens, nisi

*) Genes. 39, 15.

Digitized by Google

amorem mei. Nudus egressus es de utero matris, nudus regredieris ad sinum patris. Sine interim, dum nudus es, ut ego, qui *pauper*, *caecus et nudus sum*,*) induar vestibus valde pretiosis; his indutus ibo ad patrem tuum, et patrem meum, ut *ipse sentiens vestimentorum fragrantiam*, *benedicat mihi.***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.****)

℣. Adoro te etc.

1) Vix Jesus cruci affixus erat, crux cum Jesu et Jesus cum cruce plaudentibus Judaeis in altum erigitur et exaltatur.

2) Video jam Jesum pendentem e cruce. Quot in eo video vulnera, tot litteras lego. Jesus nempe crucifixus liber est, prout eum s. Philippus Benitius appellare solebat. O liber, qui prodiit ex typographia Dei altissimi! o liber, dignissimus legi omnium sacerdotum oculis!

*) Apoc. 3, 17. — **) Genes. 27, 27. — ***) Ps. 21, 17. 18.

Digitized by Google

imprimi omnium sacerdotum mentibus! exprimi omnium sacerdotum moribus! O liber, in quo vel unicum verbum aut verbi apex unus pluris est, quam omnium philosophorum axiomata; pluris, quam omnium poëtarum carmina; pluris, quam omnium politicorum placita, vatum oracula etc.; pluris, quam omnium librorum volumina, quae in omnibus totius orbis officinis librariis sunt, fuerunt, vel erunt. Si scirem omnia, quae continentur in totius mundi libris, quid mihi prodesset, si hunc unum librum nescirem? In hoc libro discitur se ipsum despicere, et despici optare, contemnere et contemni, contemni a mundo, et contemnere ea, quae sunt mundi. In hoc libro discitur se ipsum abnegare, paupertatem amare, pro persequentibus orare. In hoc libro discitur crucem quotidie tollere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam praebere etc. In hoc libro denique legitur totum, quod salvare, totum, quod damnare me potest. Hic est ille liber, qui aliquando proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur. Ergo valete libri omnes, tu vero,

Digitized by Google

3) Jesu Christe crucifixe, eris posthac liber meus scriptus *intus et foris*;*) foris per praecepta, intus per exempla. Beatus, si legero verba hujus libri, et ea servavero, quae in eo scripta sunt; tunc enim in die mortis legam quoque verba illa consolationis plena: „*Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*"

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus Christus postquam per tres horas derelictus a patre, blasphematus a latrone, irrisus a Judaeis, in cruce pependisset, clamans magna voce exspirat.

2) Moritur in cruce Deus homo, pro quibus? pro me, pro omnibus hominibus totius mundi. Qualem infero consequentiam? non aliam, nisi illam Apostoli: „*ut, qui vivunt, non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.*"***) „*Nemo*", inquit s. Ber-

---

*) Apoc. 5, 1. — **) Phil. 2, 8. — ***) Gal. 2, 20.

nardus, „*deinceps sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est; cui enim justius vivam, quam ei, qui si non moreretur, ego non viverem? cui vero hactenus vixi? non Deo, sed mundo.*“ Hodie vero,

3) O Jesu, tibi soli vivere incipiam, qui mihi non tantum per triginta tres annos vixisti, sed et mihi mortuus es in cruce. Tibi vivam, non mundo, quia nihil est in mundo, nisi malignitas; nihil in mundi felicitate, nisi infelicitas; nihil in mundi opibus, nisi iniquitas; nihil in mundi prudentia, nisi stoliditas; nihil in mundi voluptatibus, nisi *vanitas vanitatum et omnia vanitas*;*) postea vero nihil, nisi malorum omnium aeterna aeternitas.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Corpus Jesu de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Vix Jesus in cruce exspiravit, ejus-

*) Eccl. 1, 2. — **) Luc. 2, 35.

dem corpus piorum quorundam manibus de cruce deponitur et ad sinum virginis matris juxta crucem sedentis et lugentis deportatur.

2) Si Maria, mater dolorosissima, me tunc praesentem habuisset, certe me his vel similibus verbis, quibus Pilatus Judaeos, allocuta fuisset: „*Ecce homo*"; si tamen homo est, et non magis totus plaga et livor. Ecce homo, „*qui non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; ecce Deus, qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.*" *) Ecce, filius meus primogenitus, tam crudeli morte ob scelera tua interemptus. Ecce manus et pedes ferreis transfixi clavis, ecce cor lanceae ictu patefactum, ecce caput densissimis spinarum aculeis fodicatum! Ecce totum corpus tot plagis lividum, tot vulneribus laceratum! O tragicum facinus, ad quod sidera se occultant, saxa rumpuntur, tellus universa concutitur! Tu haec fecisti, et absque doloris sensu in saxum obduruisti. Ita sonat

---

*) Phil. 2, 6. 7.

Digitized by Google

justa et amara querela dolorosissimae matris Mariae.

3) O Maria, mater dolorosissima! quis mihi tribuat illum doloris sensum, quem tu percepisti, quando brachiis et in sinu tuo lacerum et vulneratum filii tui crucifixi cadaver excepisti? Hunc dolorem tuum quanto justius ego peccator solus sentirem! Saltem hunc tuum dolorem, o Maria, mecum divide; fac, ut ardeat cor meum in amando Christum Deum, ut tibi complaceam; fac, ut portem Christi mortem, passionis fac consortem et plagas recolere.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Corpus Christi mortuum collocant

*) Is. 11, 10.

Digitized by Google

Josephus Arimatheus et Nicodemus in sepulchro novo et mundo, in quo necdum quisquam positus fuerat.*)

2) Si corpus Christi mortuum amat munditiem in sepulchro, in quo jacet, munditiem non amabit corpus Christi Eucharisticum vivum in templo, in quo residet? Sed quid, si major mihi cura est in procuranda munditie meae domus profanae, quam templi sacri? Inspiciatur templum, domus Dei et domus mea. Si illa sordet, haec vero nitet; si parietes domus Dei ab araneis, parietes vero domus meae a bombycibus adornati sunt; si vasa, supellex linea reliquusque apparatus templi corpori Christi in sacrificio missae destinatus est sordidus, supellex vero domus meo corpori destinata decenter munda, imo et splendida; qualis haec incuria, irreverentia et negligentia, gravem certe Dei indignationem promerita!

3) O Jesu! Sicut corpus tuum mortuum in sepulchro novo et mundo reclinari voluisti, ita et supellex sacra templi tuo corpori Eucharistico destinata munda sit oportet; hanc praeparabo pro

*) Matth. 27, 57—60.

viribus mundam, tu interim *cor mundum crea in me et spiritum rectum innova in visceribus meis.* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. 50, 12.



Digitized by Google

Praxis octava.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Pilatus Romanus, in Judaea Praeses, in causa Dei hominis judex (potestate non tam a Caesare, quam desuper accepta) in Jesum innocentissimum injustam mortis fert sententiam, Barabbam vero mortis reum dimittit et a mortis poena absolvit.

2) Ah, quoties ego in s. tribunali Pilato non absimilis judex fui! Memini felicis horae, in qua ab Episcopo mihi dictum est: *„Accipe spiritum sanctum! Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, eis retinentur.“* Eo-

---

*) Ps. 93, 21.

dem momento accepi potestatem desuper in peccatores, factus sum judex regum et principum, judex orbis terrarum, judex in causa vitae et necis aeternae. At quomodo hactenus functus fui judicis officio? Quomodo usus fui potestate, desuper mihi data? Pilato non absimilis judex fui, si vel ex respectu humano, vel ex culpabili inertia, vel ex impatientia et taedio, ut me citius a confitentium turba expediam, peccatores seu cum mala fide ignorantes, aut pravam consuetudinem voluntarie retinentes, seu in proxima voluntaria occasione constitutos adeoque indispositos temere absolvi et temere absolutos cum Barabba dimisi. Proh dolor! Utinam de male functo sacri judicis officio mea non timeret conscientia!

3) O Jesu innocentissime, propter peccata mea ad mortem condemnate! Doleo de omnibus peccatis, negligentiis et ignorantiis meis in sacro tribunali commissis, doleo cum propheta tuo regio exclamans: *„Ab occultis meis munda me et ab alienis parce servo tuo!"* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Ps, 18, 13. 14.

Digitized by Google

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Judaei audita injusta, sed a se dudum exspectata Pilati sententia tripudiantes raptant innocentissimum Dominum ad locum, ubi crux erat parata, quam Jesus cum maximo desiderio in suos ss. suscipit humeros.

2) Tanto desiderio Jesus suscipit crucem, sacerdos non suscipiet, qui peculiariter prae laicis ad sequendum et imitandum Jesum, sacerdotem summum, obligatur? „*Sacerdos*,“ inquit devotissimus Kempensis, „*habet ante se et retro dominicae crucis signum ad memorandam jugiter passionem. Ante se in casula crucem portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat. Post se cruce est signatus, ut adversa quaelibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret.*“ **) Haec sinistra valetudo, illa iniqua detractio, haec contumelia, illud incommodum, haec in officio pastorali occurrens

*) Is. 53, 7. — **) Lib. IV. c. 5. n. 3.

molestia, illa in re domestica ingruens difficultas etc. — omnia haec adversa, quae mihi contra votum accidunt, crux sunt in arcano ss. Trinitatis concilio ab infinita Dei sapientia excogitata, a potentia Dei fabricata, a bonitate Dei mihi immissa; ad hanc crucem fortiter et patienter ferendam toties me excitari oportet, quoties a me memoria passionis ad aram renovatur. „*Nihil est*“, inquit s. Gregorius, „*quod non aequanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur.*“

3) O Jesu, amator crucis, infunde et mihi hujus amorem! „*In cruce salus, in cruce infusio supernae suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus, in cruce virtutis summa, in cruce perfectio sanctitatis. Quid igitur timeo. crucem tollere?*“ *) Praecessisti, o Jesu, bajulans tibi crucem, pati et mori voluisti in cruce, ut et ego meam portem crucem. In cruce, o Jesu, tecum vivam, in cruce tecum patiar, in cruce tecum et moriar.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Thom. Kemp. lib. II. c. 12. n. 2.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Afflictissimus salvator immane crucis, quo premebatur, pondus ulterius ferre non valens tremendo lapsu ad pedes lictorum corruit ab eisque velut vermis et non homo conculcatur.

2) Juveni cuidam peccatori, ut Annales Soc. Jesu referunt, apparuit quondam Christus, totus livore, sanguine et vulneribus coopertus, eumque his verbis compellavit: „*Fili mi, vide, quam crudeliter habitus sim propter peccata tua, desine tandem peccare!*" Iisdem fere verbis et me ac quemcunque alium peccatorem alloquitur Christus sub cruce in terram prostratus: „*Fili mi, vide, quam crudeliter habitus sim propter peccata tua, desine tandem peccare. Nonne satis, subdit in persona Christi s. Bernardus, nonne satis pro te vulneratus sum, cur addis afflicto afflictionem?*"

---

*) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

3) O afflictissime Jesu! Vere in opere passionis tuae neminem vocasti ad consilium, nisi amorem tuum, qui sibi meum ex integro vindicat. Satis vulneratus et crudelissime habitus fuisti propter peccata mea, non addam afflicto afflictionem,*) desinam tandem peccare, paratus sanguinem omnem prius profundere, quam vel unico consentire gravi praesertim peccato. Plenus vulneribus, plenus doloribus, prope exanimis, sub cruce prostratus jaces, et ego voluptati peccaminosae operam dabo?

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Maria, mater Dei amantissima, cum inexplicabili animae suae dolore filio suo crucem portanti in via ad montem Calvariae obviam venit.

2) Juvat, hic audire s. Augustinum de dolore virginis disserentem: „*Cruciat*

---

*) S. Bernardus. — **) Job 16, 17.

te, Domine Jesu, crux tua, sed non minus mater tua. Cruciat te dolor tuus, sed non minus dolor ejus. Nunquam enim te deseruit, non in infantia, non in pueritia, non in adolescentia, non in juventute, non in passione tuà: nunquam defuit tibi ejus solatium, sed nec obsequium. Lactat infantem, audit et sequitur praedicantem, videt et comitatur patientem. Considerare libet, bona mater, quis sit dolor tuus, quae angustia tua. Revera viscera tua penetrat gladius, laniat mentem tuam spinarum aculeus, lacerat cor tuum filii tui amarus aspectus, deest fortitudo, marcescit pulchritudo, vulnera filii tui sunt vulnera tua, crux filii tui crux tua, mors ejus mors tua." Hucusque Augustinus. Sed ecce, dum Maria in aspectu occurrentis filii sui decumano veluti obruitur fluctu tristitiae, offertur mihi peccatori fertilissima seges laetitiae. Nec enim soli Joanni, sed et mihi dictum est a moriente Jesu de Maria: „*Ecce, mater tua!*"

3) O Jesu! quanta tua in me charitas! Sic dilexisti me, ut matrem tuam

*) Jo. 19, 27.

unicam dares. Dedisti, quando mihi in persona Joannis dixisti: „*Ecce mater tua!*“ Cum hac matre omnia mihi dedisti. O quantus tuus in me amor! Cur igitur non amem te, non ut in coelo salves me, nec praemii ullius spe, sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, in amore tui vivere cupio et mori exopto.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Timentes lictores, ne Christus ante crucifixionem moriatur, crucem ejusdem humeris ablatam Simoni Cyrenaeo invito et reluctanti imponunt.

2) Tota vita sacerdotis, si ducitur ad normam Evangelii et imitationem summi sacerdotis, Jesu Christi, quid est nisi crux? Quam tamen multi ex sacerdotibus cum Simone portare nolunt, libentius portantes crucem mundi, qua nulla gra-

*) Ps. 68, 21.

Digitized by Google

vior, nulla molestior, nulla intolerabilior. Mille sibi cruces fabricatur sacerdos peccator, qui cum Simone crucem Christi fugit. Volebat David rex excutere omnes cruces, dum indulgebat omnibus deliciis; sed cum videretur deposita omni cruce levis, ipsae voluptates *velut onus grave gravatae sunt super eum*,*) ita ut cogeretur exclamare: „*Factus sum mihimet ipsi gravis, tota die contristatus ingrediebar.*“ **) Si sacerdos peccator bajulans crucem non Christi, sed mundi, ambulat demisso capite, curvo corpore, maesto pectore, ejulans cum Davide: „*Factus sum mihimet ipsi gravis, miser factus sum et curvatus usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.*“ ***) O quanto optabilius est mihi, portare crucem Christi, quam illam mundi! Illa perducit ad coelum, haec ad infernum.

3) O crux pretiosa Jesu, salvatoris mei, millies salve! Pro cruce mundi vivam ferens crucem tuam, o Jesu, moriar amplectens crucem tuam, nec prius dimit-

---

*) Ps. 37, 5. — **) Job 7, 20. — ***) Ps. 37, 7.

Digitized by Google

tam crucem tuam, quam in manus tuas emittam spiritum meum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Intuens pia Veronica in facie sacrosanta Christi maculas vulnerum, sputorum, sudarium eidem offert ad abstergendas faciei maculas.

2) Quis vultum illum, a spiritu sancto formatum, quis faciem illam, *in qua est splendor gloriae et figura substantiae divinae,* **) quis hanc faciem sacrosanctam adeo foede deformavit? quis, nisi ego et mea irreligiosa, vix non scandalosa, sacerdotem dedecens morum, incessus, linguae, oculorum, manuum etc. dissolutio? quis, nisi mea iracundia, gula, luxuria etc.?

3) O pater aeterne, *respice in faciem Christi tui,* †) in faciem *dilecti filii tui, in quo tibi bene complacuisti,* ††) et propter amo-

---

*) Is. 53. — **) Hebr. 1,3. — †) Ps. 83, 10. — ††) Matth. 17, 5.

Digitized by Google

rem, quo te prosequitur patiens filius tuus, et quo tu prosequeris patientem filium tuum, parce mihi peccatori, et sic parce, ut aliquando videam faciem illam a me et pro me vulneratam, ut videam non per *speculum in aenigmate*, *sed facie ad faciem.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis, et non homo etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Vix abstersit Jesus velo oblato faciem suam foede deformatam, jam iterum a lictorum turba crudelissime tractatus horribili lapsu sub cruce in terram cadit.

2) Aspice, anima mea, in terra jacentem filium Dei! „*Aspice in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*!†) Aspice et audi tibi loquentem: „*O sacerdos, qui transis per viam, attende et vide, si est dolor, sicut dolor meus.*“ ††) Laboravi usque ad su-

---

*) I. Cor. 13, 12. — **) Ps. 21, 6. — †) Hebr. 12, 2. — ††) Thren. 1, 12.

dorem, sudavi usque ad sanguinem, sanguinem fudi usque ad ultimam guttam, flagella tuli, quae nec mancipiis hoc numero et horrore infliguntur. Spinis cruentatum est caput, jam fatiscenti imposita est immanis haec crux in montem bajulanda, mistus amaro felle potus. Disce, fili, non quaerere commoditates corporis, non fugere incommoditates in tuo officio occurrentes, laboribus te non subducere, in victu, vestitu, lecto non mollibus inhiare. Disce mortificare carnem tuam, escam vermium, animae hostem, aeternos jam ignes promeritam. Abi, delicate nimis sacerdos, purga conspectum meum, spinosum meum caput odit membra delicata. Ego Judae proditori et crucifixoribus meis omnia charitatis signa exhibui, noli offensus fovere in corde rancorem, in facie ostendere offensionis factae signa, benefac illis, a quibus mala accepisti. Ego eo paupertatis redactus sum, ut non haberem, quo coram inverecundo populo nuditatem meam tegerem. *Vulpes foveas habent et volucres nidos, ego vero, filius hominis, non habeo, ubi caput reclinem.*" *)

*) Matth. 8, 20.

Digitized by Google

Aequo animo fer, si ob tenuitatem redituum in re domestica ingruit difficultas etc.; aut quid? an melius servus domino suo? Sic mihi loquitur, qui pro me patitur, sub cruce prostratus Jesus, summus sacerdos.

3) O Jesu! audivi te loquentem, liceat et mihi, cor meum aperire ad te. Grates tibi, grates amori tuo infinitas! Jam non amplius dubito de sincera tua aeternum me salvandi voluntate. Possumne adeo amantem non redamare? Accipe ita cor meum, quod tanto cruciatuum tuorum sumptu emisti tibi, et da, ut a te amando aeternum non desistat.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Miserandus Christi patientis aspectus adeo commovit pias mulieres, ut co-

*) Thren. 1, 12.

piosas ex compassione lacrymas profunderent.

2) Merito commovit mulieres in sui commiserationem aspectus Christi patientis. Ego vero peccator siccis oculis nec semel mutato colore Christum patientem intueor. Nulla mihi prae pudore rubet pars genae, nulla prae amore stillat ex oculis lacryma, nullus prae dolore erumpit ex pectore gemitus, non tantum eorum, quae commisi poenitenda, me non poenitet, sed et nova cogito scelera, ut nova infligam vulnera. Non metuo illius ex coelis justitiam, cujus in terris despicio clementiam. Nimirum hoc tibi proprium est,

3) O Jesu, misereri semper et parcere, orare pro persequentibus et crucifigentibus te, diligere inimicos tuos; — haec tua est indoles, o Jesu, lavare pedes illius, qui te vendit, osculari eum, qui te prodit, sanare auriculam ejus, qui te capit, ignoscere ei, qui cum juramento te negat, percuti et non repercutere, accusari et silere, flagellari et pati: denique omnibus semper et ubique benefacere. Et quia tua haec est indoles, o Jesu, ideo plus spero de tua clementia, quam timeo pa-

Digitized by Google

tris tui iracundiam. Perge misereri, o Misericordia, donec te videam in gloria, ubi *misericordias tuas in aeternum cantabo!* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Gravissimo crucis ponderi jam iterum succumbit Jesus et tertia vice labitur, lapsus ad locum crucifixionis magno impetu a lictoribus propellitur.

2) Si, filio divino sub cruce cadente, divinus pater mihi tunc fors praesenti praecepisset, ut crucem pro Jesu ferrem, vel ipse eandem mihi imposuisset, an restitissem? An non horridum illud lignum summa alacritate exosculatus et amplexatus fuissem? Nunc vero crucem hujus tribulationis, hujus morbi et sinistrae valetudinis, molestiarum et difficultatum in officio pastorali occurrentium etc. imposuit mihi pater divinus, et ferre recusem?

---

*) Ps. 88, 2. — **) Is. 53, 5.

Digitized by Google

3) Absit a me, domine; paratum cor meum, Deus! paratum cor meum ad crucem ferendam, quam mihi imposuisti; feram, quamdiu placuerit; quidquid quotidie sustinuero, in satisfactionem peccatorum poenitens offero; cum autem haec mea oblatio respectu peccatorum meorum sit nimis exigua, audi, Jesu, quid offeram, cum de meo nihil habeam, tota mea oblatio sit tua sancta passio.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.**)


℣. Adoro te etc.

1) Vix carnifices exuerant Jesum vestibus, *dant ei vinum bibere cum felle mistum, et cum gustasset, noluit bibere.***)

2) Quid hoc mysterii est? Qui omne genus tormentorum admisit, hoc unum omisit, noluit bibere. Dederunt Christo alapas, voluit excipere. Conspuerunt faciem, voluit illam foedari; falso accusarunt, cum silentio voluit perferre. Fla-

*) Is. 1, 6. — **) Matth. 27, 34.

STATIO X.



Jesus exuitur vestibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

gellarunt, coronarunt, crucem imposuerunt, voluit sustinere. Dant ei vinum bibere cum felle mistum, noluit bibere. In omnibus corporis membris cruciatum expertus est Jesus, cur solam linguam vult esse a dolore exceptam? Interpretes aperiunt, quae hic latent arcana. Est nempe lingua membrum hominis valde peccaminosum. De lingua enim exit fel detractionum, calumniarum, convitiorum, juramentorum, mendaciorum etc.; hoc felle mistum vinum noluit bibere Jesus. Si malediceret, si detraheret, si traduceret alienam famam laicus, sustinuissem utique, dicit Davidis ore Jesus: tu vero sacerdos, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui quotidie linguam tuam ex sacra ara refers sanguine meo cruentam, quod tu cum vino illo coelesti, cum sanguine meo fel illud amarulentae linguae misceas et mihi propines, hoc felle mistum vinum non possum bibere. „*Et cum gustasset, noluit bibere.*"

3) O Jesu, qui in passione tua omnia perferre voluisti tormenta, hoc unicum noluisti. In vanum laborat humanum ingenium, si velit intelligere satis hoc ar-

canum mysterium, nec intelliget nisi ille, qui intraverit in sanctuarium tuum; ibi eructabis mysteria abscondita a saeculo, ibi potabis non felle, sed torrente voluptatis sacerdotes tibi fideles, ibi *inebriabuntur ab ubertate domus tuae.* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Prostrato in crucem filio Dei mons Golgathaeus perstrepit sonitu malleorum vastorum, quibus clavos infigunt efferati carnifices, manus pedesque Christi domini crudelissime cruci affigunt.

2) Quis verbis exprimet, quam dolorosa fuerit haec crucifixio, quam sustinere voluit pontifex noster Jesus? ut sacerdotes praecipue ad crucifixionem spiritualem amore ipsius subeundam invitaret, de qua intelligendum illud Apostoli: „*Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*" ***) id est, prout ss. patres apud Cassi-

*) Ps. 35, 9. — **) Ps. 21, 17. 18. — ***) Gal. 6, 14.

anum exponunt. Amorem proprium cum rebus hujus mundi ita abhorruit Apostolus, ac si esset cadaver latronis crucifixi, pari modo abhorrebat mundus Apostolum. Ubi vero in me signa hujus crucifixionis? quis mundo crucifixum dicet sacerdotem illum, aut mundum sacerdoti, quem adhuc concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae aeque ac laicos tenet?

3) O Jesu pro me crucifixe! Quando tandem me ipsum cum amore proprio et rebus hujus mundi crucifigam amore tui, qui voluisti crucifigi amore mei? Posthac crucifixus ero mundo cum Apostolo tuo, mundus crucifixus erit mihi, crucifigam carnem cum vitiis et concupiscentiis,*) deponam veterem hominem cum actibus suis, et novum induam in justitia, non amplius secundum carnem vivam, sed in spiritu facta carnis mortificabo, neque conformabor huic saeculo maligno, sed reformabor in novitate sensus mei. Tu, o Jesu, sis mihi vivere, et mori lucrum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Gal. 5, 24; Gal. 6, 14; Ephes. 4; Rom. 8, 12; Phil. 6.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus Christus, ab Herode illusus, a Pilato condemnatus, a Judaeis crucifixus, a patre derelictus, a discipulis desertus, a latrone blasphematus, in cruce moritur.

2) Hoc est ultimum ordine, sed primum dignitate de Christo patiente mysterium, omnium mysteriorum longe maximum, mors nempe Dei immortalis. Itane vero, ut vivam ego vitam immortalem, moritur *rex saeculorum immortalis.***) Ut vivam ego vilis vermiculus terrae, moritur dominus coeli. Quamdiu provocabit amorem meum amor divinus? quot ludos aget? quot scenas peraget? quot personas sustinebit? Egressus est ut sponsus, cucurrit ut gigas, jacuit ut infans, ambulavit ut peregrinus, fugit ut exul, obedivit ut subditus, ministravit ut servus,

---

†) Phil. 2, 8. — **) I. Timoth. 1, 17.

Digitized by Google

docuit ut magister, sanavit ut medicus, et quas non scenas in mei gratiam egit divinus redemptor in domibus, vicis, plateis, in campis, castellis, templis, synagogis, in oppidis, urbibus, in solitudine, montibus, vallibus, in terra, mari, horto Gethsemani, in domo Annae, aedibus Caiphae, praetorio Pilati, palatio Herodis et tandem in patibulo crucis?

3) O Jesu crucifixe! cum jam nihil supersit ultra, quod possis pro me facere, tandem morere, mors tua omnium exspectatissima. Exspectat pater tuus coelestis apertis brachiis, ut spiritum sibi commendatum excipiat. Exspectant angeli, ut tibi de devicta morte gratulentur, exspectat limbus, ut tuo splendore illustretur. Exspectant captivae tot saeculis animae, ut per te libertati restituantur, exspectat mortem tuam mecum genus humanum totum, ut per tuam mortem temporalem redimatur a morte aeterna. Tandem morere, o Jesu, ne moriar ego peccator, ne moriar in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Postquam Jesus cum duobus latronibus in cruce exspirasset, ne remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati), corpus Jesu exanime, vulneribus plenum, de cruce in sinum matris afflictissimae deponitur.

2) Nemo facile explicabit magnitudinem doloris in corde matris videntis vulnera filii sui. Voluit nempe Jesus Mariam, matrem suam, sicut gloriae suae, ita et passionis consortem. Bibit Jesus calicem passionis, hunc gustare debuit et Maria; nec ab ipsa matre Dei transivit calix iste, a me transibit?

3) O Jesu! Si non potest hic calix (passionis) transire a me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.**) Tecum, o Maria, gustabo calicem passionis, quamdiu vivam, ut aliquando tecum sedere merear

---

†) Luc. 2, 35. — **) Matth. 26, 42.

Digitized by Google

in regno filii tui: „*Si enim socius fuero passionis, ero socius et consolationis.*“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Corpus Jesu de cruce depositum Joseph Arimathaeus et Nicodemus ad sepulchrum deferunt et more aliorum defunctorum sepulturae mandant, *advolventes lapidem ad ostium sepulchri.* †)

2) Claudi potuit corpus Jesu lapide sepulchrali, minime vero ejus memoria et gloria sepulchro abscondi. *Propheta potens opere et sermone*, ††) sic audit Jesus, sacerdos summus, ubique post mortem in tumulo suo. Ego vero quid audiam post mortem in tumulo meo? ubi erit gloria mea? ubi memoria mei? nullibi sane; peribit memoria mei cum sonitu campanarum, vel si fors per aliquod tempus post mortem nomen meum in ore hominum vel parochianorum meorum maneat:

*) II. Cor. 1, 7. — **) Is. 11, 10. — †) Marc. 15, 46. — ††) Luc. 24, 19.

Digitized by Google

quid prodest, si anima sit in manibus daemonum? „*Multi laudantur, ubi non sunt*“, inquit s. Augustinus, „*et cruciantur, ubi sunt.*“

3) O Jesu, cujus laus, honor et gloria post mortem manet in aeternum, nolo laudari post mortem ab hominibus; si mihi in tumulo quiescenti laus erit a te, satis est, Domine, satis est.

Per crucem etc. Pater noster etc.



Digitized by Google

Praxis nona.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)
℣. Adoro te etc.

1) Condemnato ad mortem Christo Pilatus coram Judaeis lavat manus dicens: „*Innocens ego sum a sanguine hujus justi.*" **) Judaei optantes lavare manus in sanguine agni Pilato respondent, et veluti rabidi canes vociferantur: „*Sanguis ejus super nos et super filios nostros.*" ***)

2) Infelices profecto Judaei cum suo praeside Pilato, super quos veniet sanguis Christi non ad salutem, sed ad perniciem. At Judaeis et Pilato longe infeliciores sacerdotes illi, qui cum Pilato et Judaeis a sanguine Christi minime inno-

---

*) Ps. 93, 21. — **) Matth. 27, 24. — ***) Matth. 27, 25.

Digitized by Google

centes sunt, sed ejusdem toties se reos faciunt. Sanguinis Christi an non rei sunt illi sacerdotes, qui gravium peccatorum licet conscii, eundem sacrilego ore toties bibere praesumunt? Sanguinis Christi an non rei sunt illi sacerdotes, qui eundem in animabus subditorum sua culpa et negligentia perire sinunt? Sanguinis Christi an non rei sunt illi sacerdotes, qui reditus ecclesiasticos, pretium divini sanguinis, in luxum, in convivia, in vanitates et saeculares laetitias, in ditandos consanguineos etc. pessime profundunt? Contra hos sanguis Christi, velut sanguis Abelis, olim in die judicii clamabit, vindictam exposcens. Quid hic mea conscientia? An innocentem me vel cum Pilato et Judaeis sanguinis divini reum pronuntiat?

3) Peccavi, o Jesu; minime innocens sum a sanguine tuo, frustra cum Pilato adhibeo aquam ad lavandas manus tui sanguinis toties reas, scelus meum nimis immane est et truculentum, quam ut illud eluere possit totius aquae elementum; sola aqua, quam dolor peccati ex oculis exprimit, hoc meum scelus eluit. Vae

Digitized by Google

mihi, aqua hac deficiente, vae mihi non poenitenti! Sanguis ille tuus, o Jesu, cujus me reum feci, veniet super me ad perniciem, clamabit contra me, vindictam exposcens, crepabo medius, effundentur ut Judae omnia viscera mea, in quibus nullus spiritus sacerdotalis vivebat!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) *Jesus ergo bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum.***)

2) O quam paucos etiam ex sacerdotibus habet Jesus in via crucis sequaces! *Durus* mihi et sacerdotibus valde *multis videtur hic sermo: „Abnega temetipsum, tolle crucem tuam et sequere Jesum.“ Sed multo durius erit audire illud extremum verbum: „Discedite a me maledicti in ignem aeternum.“ Qui enim modo libenter audiunt verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione aeternae damnationis; tunc omnes* sa-

*) Is. 53, 7. — **) Jo. 19, 17.

Digitized by Google

cerdotes, *servi crucis, qui se crucifixo conformarunt in vita, ad Jesum accedent judicem cum fiducia magna.**) Non est quidem secundum hominem crucem portare, crucem amare, contumelias et adversa libenter sustinere, se ipsum despicere et despici optare, desideria carnis vincere etc. Sed omnia haec

3) Possum in te, o Jesu, si me confortas! Non igitur timeo tollere crucem, per quam itur ad regnum. Libenter suscipio de ore tuo verbum crucis, ut olim cum paucis electis audire merear verbum illud plenum consolationis: „*Venite, benedicti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi!*" **)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.****)

℣. Adoro te etc.

1) Acerbos inter cruciatus, subsannationes et ignominias Jesus crucem baju-

*) Thom. K. lib. II. cap. 12, 1. — **) Matth. 25, 34. — ***) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

lans adeo crudeliter trahebatur et tractabatur, ut dolorosissimo lapsu in terram corruerit.

2) O utinam ex passione Christi, sub cruce lapsi, tandem cognoscerem, quanti sint pretii animae mihi commissae; nulla vilis est, omnes aeque pretiosae, utpote quas aeterna sapientia dignas judicavit, ut divini pretio sanguinis emerentur. Unica ex meis anima tantum valet, quantum sanguis Christi, quo conspersa est; quanta ergo sollicitudine invigilandum mihi diu noctuque, ne unica ex tot pretiosissimis sanguine Jesu conspersis animabus aeternum pereat! Veniet, fors brevi, novissima illa hora mortis, in qua imaginem Christi Jesu crucifixi ante me positam videbo. O quanto tunc solatio Christo ex imagine crucis pendenti ultimum praebebo osculum, si cum veritate et conscientia teste dicere potero: „Domine Jesu, inter animas, quas dedisti mihi, non perdidi mea culpa ex eis unicam!“

3) Utinam, o Jesu, non perdam vel unicam! Satis jam ex passione tua cognosco vel unius animae pretium. Per

passionem tuam et dolorosissimum sub cruce lapsum te rogo cum propheta regio: „*Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.*“*) Animas meorum parochianorum confitentes tibi ne tradas bestiis infernalibus, et quas redemisti perditas, noli perdere redemptas!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Mater afflictissima occurrit filio crucem bajulanti, hic moriturus his vel similibus verbis cordis potius, quam oris moestum et extremum matri suae occurrenti dicit vale.

2) Vale, o mater! ecce enim opus, quod dedit mihi pater, ut facerem, jam consummandum est. Exivi a patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Vale mater! ecce venit hora et jam venit, ut redeam ad eum, qui misit me, patrem, hic accipiet in ma-

*) Ps. 73, 19. — **) Job 16, 17.

Digitized by Google

nus suas spiritum meum; tibi, mater, in manus tuas commendo corpus meum, reclinasti olim corpus meum, ex te natum, in stabulo, involvisti corpus meum recens natum pannis, involve illud mortuum sindone munda. Mundus jam gaudet, tu vero, mater, tristaris, sed exspecta modicum: „*Tristitia tua vertetur in gaudium, et gaudium tuum nemo tollet a te.*“ *) Tunc abstergam omnem lacrymam ab oculis tuis, quia ut pupillam oculi te diligo etc.

3) Quis tibi tunc sensus, cum audis talia, virgo? quis tibi sensus? quis dolor in corde tuo materno, cum audis filium in morte valedicentem tibi? Quis tibi sensus? quis dolor, dum vides pro peccatis suae gentis filium Jesum in tormentis et flagellis subditum? Quis tibi dolenti, o Maria, non condoleat? Ecce me condolentem tibi! Intercede pro me, ut *secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes Domini laetificent animam meam!* **) *Tu vero, Domine Jesu, salvum fac filium ancillae tuae.* ***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Jo. 16, 22. — **) Ps. 93, 19. — ***) Ps. 85, 16.

Digitized by Google

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Simon Cyrenaeus, invitus et a lictoribus angariatus, portat crucem post Jesum: „*Et angariaverunt praetereuntem quempiam Simonem, Cyrenaeum, venientem de villà, ut tolleret crucem ejus.*" **)

2) Simon ille, Cyrenaeus, invitus crucem Jesu portat, quia ignarus, quam pretiosi ponderis sit bajulus; ego vero sacerdos, sciens pretium crucis, ab eadem abhorreo Simone Cyrenaeo magis, semper commodorum amans, laborum hostis; imo mihimet metuo, ne forte inter eos sim, quos Apostolus *flens vocat inimicos crucis, quorum Deus venter est*, †) *qui lasciviunt in stratis et dormiunt in lectis eburneis*, ††) qui commorantur in vino et student calicibus epotandis. Vae mihi, si inter hos crucis inimicos fuero, quorum finis interitus dicente eodem Apostolo!

---

*) Ps. 68, 21. — **) Marc. 15, 21. — †) Phil. 3, 18. 19. — ††) Amos 6, 4.

3) O Jesu! quicunque inimicus crucis tuae fuerit, amicus tuus esse non poterit, finis ejus interitus erit. Nolo posthac esse inimicus crucis, ne condemnes me cum inimicis crucis ad interitum aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Conspecta Christi facie, quae pulvere, sudore, sanguine, vulneribus et sputis horrendum in modum erat deformata, pia Veronica velum capitis sui Christo offert ad abstergendas faciei sacrosanctae maculas.

2) Intuere, o anima, in speciosissima Christi facie sacratissimum sanguinem et decurrentes lacrymas cum Judaeorum sputis permixtas; vide, quam copiose te veluti vineam suam riget amantissimus tuus redemptor!

3) O amantissime redemptor, quam te

*) Is. 53, 3.

video amore mei in passione tua delaniatum! Desine, ah desine, tandem sanguinem tuum pretiosum fundere! sum vinea, sed jam rigata satis, reflorescam, dignos poenitentiae fructus feram. Maledictum peccatum, quod tot dolores tibi, o Jesu, causavit; crudele peccatum, quod tantum sanguinis tibi expressit! O ut peccato consensissem nunquam, sed semper illud detestatus essem! Detestabor saltem deinceps amore tui, qui tam indigna passus es amore mei.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis, et non homo etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Christus dominus, catena collo imposita, capite spinis coronatus, humeris cruce ornatus, corpore curvo nunc funibus tractus, nunc fustibus impulsus, nunc pedibus conculcatus, secunda vice sub cruce dolorosissime labitur.

---

*) Ps. 21, 7.

Digitized by Google

2) Quid aliud sunt hi repetiti Christi lapsus, tot repetita tormenta, nisi divini argumenta amoris? Tantus erat amor Christi erga totum genus humanum communis, sed erga me, qui haec meditor, singularis, ut promptissimus fuisset, pro mei solius salute sustinere tot ictus, quot sunt in litore maris arenae, pati tot plagas, quot coelum numerat stellas, effundere tot guttas sanguinis, quot atomi continentur in regione aëris. Paratus fuisset, non diem tantum unum, sed jam inde a primo mundi die ad novissimum usque jugiter pati et cruciari. O! Jesu sic me amante, quid non possum, imo debeo sperare? Omnia totius mundi peccata, ab omnibus hominibus hactenus perpetrata, vel usque ad finem mundi perpetranda, si ego solus omnia haec commisissem, nihilominus tot vix non numero infinitorum peccatorum veniam sperare auderem intuitu divini sanguinis, tam copiose pro me effusi. Unica gutta sanguinis Christi, sub cruce lapsi, plus valet apud Deum in ratione meriti, quam omnia totius mundi peccata in ratione demeriti.

3) O bona spes! Multum quidem pec-

Digitized by Google

cavi, afflictissime Jesu, sed etiam multa, imo plurima propter peccata mea pertulisti omnemque sanguinem profudisti! Igitur jam firmissime spero meritis passionis tuae veniam peccatorum impetrandam et portas coeli mihi reserandas. Cupio, ossibus meis omnibus inscribi et sanguine ex venis meis hausto subscribi haec verba: „*Tu es, Deus, spes mea; in te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.*“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Piae quaedam mulieres, cum Jesum crucem bajulantem vidissent et propediem crucifigendum, non poterant sibi temperare a lacrymis.

2) Jesum funibus vinctum, flagris concisum, spinis coronatum, lacrymis perfu-

---

*) Ps. 30, 1. — **) Thren. 1, 12.

sum, sudore madidum, plagis lividum, sanguine cruentum, sexcentis cruciatibus exhaustum; frigore tremulum, cruce onustum, ad mortem crucis condemnatum, ab omnibus desertum, a solis tortoribus circumdatum lugent profusis lacrymis piae mulieres, luget mater Maria, lugent discipuli absconditi, luget sol obscuratus et terra mota, lugent petrae scissae et monumenta aperta, luget terra mota, luget velum templi scissum; ego solus non lugeo et siccis oculis Jesum, pro me tanta passum, aspicio. Ego sum, proh dolor! inter eos, de quibus devotissimus Kempensis Christum crucifixum alloquens dicit: „*Heu, Domine, quam multi inconsiderate coram te transeunt siccis oculis et incompassibili corde!*"

3) O Jesu! *Ciba me pane lacrymarum et potum da mihi in lacrymis in mensura,* *) quibus defleam die ac nocte vulnera tua et mea in te scelera. Sic cum regio propheta vere dicere potero: „*Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.* **) lacrymae non steriles, sed seria poenitentia

*) Ps. 79, 6. — **) Ps. 41, 4.

Digitized by Google

foecundae; has lacrymas cum tuo pretioso sanguine miscebo, lugebo, nunquam lugebo satis.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Christus ad montem Calvariae pervenisset, debilitatus viribus, pondere crucis depressus, prope exanimis in terram labitur.

2) Dum Jesum, sub cruce jam iterum prostratum, pio commiserationis affectu contemplor, videor mihi ex ejus ore audire verba illa prophetae lamentantis: „*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.*" **) Attende, fili, dolores et angustias meas; angustias tuli, ut te ab angustiis mortis liberarem; comprehensus sum, ut te ad me traherem, et tu bravium comprehenderes; ligatus, ut te solverem a vinculis peccati; vili pretio venditus, ut te eme-

*) Is. 53 5. — **) Thren. 1, 12.

Digitized by Google

rem et redimerem. Negatus a Petro, ut te coram patre confiterer. Accusatus, ut te coram patre excusarem; velatus facie, ut illam tibi in coelo cum summa gloria revelarem. Spoliatus vestibus, et iterum indutus, ut te *veteri Adamo spoliarem et novo induerem homine. qui secundum Deum est.**) Flagellatus a Pilato, ne te peccatorem pater flagellaret flagellis multis, *multa enim flagella peccatoris.***) Damnatus ab iniquis judicibus ad mortem, ut te damnatum ad aeternam mortem absolverem. Corona spinea redimitus, ut pararem tibi coronam gloriae. Bajulo crucem ponderosam, ut pondus peccatorum a tuis humeris in meos transferrem etc.

3) O Jesu ad mortem afflictissime! Quid retribuam pro omnibus, quae retribuisti mihi in passione tua? quid retribuam, nisi dolorem, quo tibi condoleam, et magnitudinem peccatorum detester? Nihil jam cogitare, nihil scire, nihil amare posthac desidero, nisi te, Jesum Christum, et hunc crucifixum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Col. 3, 9. 10. — **) Ps. 31, 10.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Antequam ad locum crucifixionis ventum erat, adoriuntur Jesum efferati carnifices, ejusque vestimenta ex vulneribus, quibus concreta erant, una cum carne ac cute immani rabie abstrahunt.

2) Video jam Jesum in monte Calvariae, hic stat coram inverecundo populo nudus totus. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo nisi nuditas, quid mirum? Quia a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo nisi charitas. Charitas erga me nudavit Jesum vestibus suis. Nudatur vestibus in monte Calvariae rex gloriae, ut nuda anima mea induatur, hic veste nuptiali gratiae, ibi vestimento gloriae. At vestimento gloriae non induetur, nisi modo induam Jesum Christum, nobis praecipue sacerdotibus altum inclamante Paulo: „*Induimini Dominum Jesum Christum.*" **)

---

*) Is. 1, 6. — **) Rom. 13, 14.

Digitized by Google

ionis
erati
neri-
arne

lva-
oulo
ad
udi-
dis
eo
vit
in
ni-
ra-
to
m
o-
ni

Digitized by Google

STATIO XI.



Jesus cruci affigitur.

Digitized by Google

3) O Jesu! Quia video me nudum, quem alium induam nisi te, jubente Apostolo tuo: induam tuam humilitatem, modestiam, mansuetudinem, induam tuam patientiam, temperantiam ceterasque virtutes tuas, ut sic jam tecta nuditate mea, *cum mortale hoc induerit immortalitatem*, *) audiat anima mea jam corpore exuta a patre tuo: „*Induere vestimentis gloriae tuae.*" **)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.****)

℣. Adoro te etc.

1) Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, inclinat se in crucem, inclinatus extendit manus, extentas manus cum pedibus carnifices trabalibus clavis perfodiunt et cruci affigunt.

2) Minime dubitare licet, Jesum in

---

*) I. Cor. 15, 54. — **) Is. 52, 1. — ***) Ps. 21, 17. 28.

Digitized by Google

dolorosissima hac crucifixione suam illam cantilenam tacite repetiisse: „*Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* crucifixionis amarissimus. *Verum non mea, sed tua voluntas fiat.*“ *) *Transeat calix*, est vox timoris; *fiat voluntas tua*, est vox amoris. Fere similem, quam Jesus patiens expertus est, luctam timorem inter et amorem, vix non quotidie experior: transeat a me penuria, transeat a me omnis injuria, transeat a me omnis detractio, sinistra valetudo, praematura mors. Transeat a me, quidquid mihi incommodum, molestum et adversum est; transeat a me crux et adversitas omnis, qualis est haec vox? Vox carnis, non spiritus; naturae, non gratiae; timoris, non amoris divini.

3) Verum alia nunc est, o Jesu, vox mea! Clamo tecum ad patrem tuum et patrem meum: „*Non sicut ego volo, sed sicut tu; non mea, sed tua fiat voluntas.*“ In omnibus perinde mihi est, sive sim pauper, sive dives, sive sanus, vel infirmus; sive sim contemptus, sive aestimatus etc., modo tua voluntas fiat, haec est summa votorum meorum, nec aliud nisi

*) Matth. 26, 39. 42.

hoc unum cupio sive in coelis, sive in terris, sive in tempore, sive in aeternitate, quam me totum tuae infinities adorandae submittere voluntati, nec desidero momentum unum vitae meae, imo nec gradum unum sanitatis supra eum, quem sanctissima tui patris voluntas mihi decrevit. Nolo quidpiam meae voluntati permitti in iis, quae conditionem vitae meae, horam aut gemitus mortis meae attingunt. Una erit semper vox mea ad patrem: „*Non sicut ego volo, sed sicut tu.*“

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Anno ab orbe condito 4086, imperii Romani 81, Tiberii Augusti 20, Olympiade 203, orbe jam toto patri divino reconciliato, omnibus jam impletis vaticiniis prophetarum aeterni patris filius unigenitus, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coe-

†) Phil. 2, 8.

Digitized by Google

lis, factus homo, patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, pro salute mundi et redemptione generis humani hora a meridie tertia in monte Calvariae prope urbem Hierosolymam inclinato capite moritur.

2) Moritur Deus, et homini adhuc lubet vivere; ille, cui omnia et per quem omnia vivunt, desiit vivere. Quis hoc audiens non moritur? quis adhuc ducat spiritum, dum ille, ex quo, in quo, per quem omnes spirant, tradit spiritum? O charitas sine modo, fine et mensura!

3) Fateor, o Jesu, in cruce moriens! Pervenisti ad fastigium charitatis, ad ultimam lineam amoris erga me! Sic nempe voluisti amare me, ut vicissim amem te. Dignare me, o Jesu, amare te semper! In amore tui spirare, respirare et exspirare exopto.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.*†)

℣. Adoro te etc.

†) Luc. 2, 35.

Digitized by Google

1) Stabant juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus Maria Cleophae et Maria Magdalene. Postquam vero Jesus in cruce exspiravit, corpus ejus de cruce depositum in sinu virginis matris Mariae collocatum fuit.

2) Corpus filii in sinu matris, in corpore filii video vulnera, in matre video ubera, in medio positus, quo me vertam? Ad filium, qui quiescit in sinu matris? an ad matrem, quae in sinu suo habet filium? Pascunt me vulnera filii, lactant me ubera matris, ex utrisque oritur mihi certa salutis fiducia: non possum errare, quocunque me vertam. Si ad Mariam confugio, audio dicentem: „*Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.*“ *) Si ad Jesum confugio, dicit mihi: „*Salus tua ego sum.*“ **)

3) Si salus mea es, o Jesu, ergo „*salvum me fac in misericordia tua!*“ ***) Per te, o Maria, hauriam salutem a domino, dilecto filio tuo, ut, quem in multis hactenus offendi, tuis meritis et precibus sem-

*) Proverb. 8, 35. — **) Ps. 34, 3. — ***) Ps. 30, 17.

per mihi sentiam propitium et salvatorem deum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Nicodemus, princeps Judaeorum, et Josephus Arimathaeus, nobilis decurio, corpus Jesu exanime more in funeribus personarum dumtaxat honoratarum usitato munda sindone involvunt, aromatibus pretiosis ungunt et comitantibus Maria, Joanne devotisque ceteris mulieribus ad sepulchrum portant.

2) Adeo honorifica fuit sepultura Christi. Et qualis olim erit mea? Pro more in funeribus sacerdotum usitato satis honorifica. Cadaver meum post mortem induetur vestibus sacerdotalibus. O triste solatium, si anima veste nuptiali carens in tenebris orci conclusa fuerit! Cadaver sacerdotis inter psalmi quinquagesimi cantus, comitante clericorum et laicorum

---

*) Is. 11, 10.

Digitized by Google

funebri agmine, ardentibus cereis, lento gradu ad tumulum deportabitur; sed quid proderit animae, fors jam ad infernum damnatae, haec funebris pompa? Quis non malit post mortem cum justo mortuo feris devorandus exponi, quam cum divite impio comitantium faces pompa magnifica sepeliri? Pro me sepulto orabit sacerdos: „*Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes famulum tuum sacerdotali fecisti dignitate vigere, praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio.*“ Sed quid proderit, si anima tunc justo Dei judicio jam sit aggregata perpetuo non sacerdotum sanctorum, sed damnatorum consortio? Corpus quidem meum post mortem sepelietur honorifice in templo; quid proderit, si anima cum divite epulone sit sepulta in inferno?

3) O Jesu, a quo „*statutum est hominibus semel mori, post hoc autem* corpori sepulchrum, *animae judicium!*“*) Mori non abnuo, quia et te mortuum in sepulchro video. Veni, o Jesu, et tandem per mortem avelle me ab hoc mundo, qui totus in

*) Hebr. 9, 27.

Digitized by Google

maligno positus est, qui nihil nisi fallacias, injustitias et spurcitias in se continet; ab hoc mundo maligno avelle me tandem et praesta, ut, sicut inter Apostolicos sacerdotes me indignum sacerdotali fecisti dignitate vigere in terris, ita quoque post mortem eorum perpetuo aggregari merear consortio in coelis.

Per crucem etc. Pater noster etc.



Digitized by Google

Praxis decima.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Postquam summi sacerdotes cum scribis et senioribus in concilio suo Jesum mortis reum pronuntiarunt: „*Reus est mortis*“,**) ducunt eum cum magno tumultu ad tribunal praesidis Romani, accusantes et clamantes: „*Tolle, crucifige eum!*“

2) Tribunal hoc judicis Pilati o quam diversum a tribunali judicis Dei, *ante quod omnes nos aliquando manifestari oportet!****) Tunc Deus, judex, *vocabit adversum me tempus*†) subtrac tumofficio, perditum

*) Ps. 93, 21. — **) Matth. 26, 66. — ***) II. Cor. 5, 10. — †) Thren. 1, 15.

Digitized by Google

somno, immolatum conviviis, lusibus, recreationibus, lucris temporalibus, nugis etc. Vocabit adversum me loca sacra, quae profanavi, loca profana, in quibus profanatus sum ego. Vocabit adversum me personas, quarum curam administravi, vocabit sanctos, in cura animarum zelosos sacerdotes, quorum exempla neglexi. Vocabit angelos, quorum clientes per meam incuriam perierunt. Vocabit daemones, quorum zelus in animarum perniciem semper ardens meum frigus damnabit. Omnes hae creaturae vocatae accusabunt me coram judice Deo conclamantes: „*Reus est mortis, tolle, crucifige eum.*" Judex stygiis carnificibus dicet: „*Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum.*"*) Me infelicem, a Deo judice condemnatum sacerdotem stygii carnifices cruci aeternitatis tribus clavis affigent, clavo serae poenitentiae de praeteritis, clavo extremae tristitiae de praesentibus, clavo funestissimae desperationis de futuris. O crux aeternitatis, quae nunquam habitura est finem!

*) Apoc. 18, 7.

Digitized by Google

3) O Jesu, juste judex ultionis! post vitae incuriae bonos dies quid aliud exspectandum mihi? Totus processus judicialis, qui te coram Pilato oppressit, incumbet aliquando mihi, nisi serio resipiscam. Detestor annos, menses, dies, horas, tempus omne officio subtractum et nugis immolatum; poenitens clamo ad te cum Ecclesia: „*Lacrymosa dies illa, qua resurget ex favilla judicandus sacerdos reus; huic ergo parce, Deus, pie Jesu Domine!*“

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus, unius quidem Pilati voce, sed communi omnium voto condemnatus, crucem a carnificibus acceptam submissima totius corporis et animi reverentia fractis imponit humeris.

2) Quis verbis exprimet, quanto Jesus et arserit semper crucis desiderio,

*) Is. 53, 7.

et exsultaverit gaudio, cum eam susciperet? Quum enim adhuc a longe esset, vidit crucem et laetitia immensa est perfusus et occurrens cecidit super crucem et osculatus est eam, accepit eam in ulnas suas ex manibus patris, ut exemplo suo ad crucem post se ferendam nos sacerdotes alliceret: „*Congruit nostrae devotioni, ut, qui Domini crucifixi passionem* (quotidie in Missa) *celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsis etiam faciamus.*“*) Dicam ergo cum pio asceta:

3) „*Domine Jesu! sicut dixisti et promisisti, sic utique promereri contingat. Suscepi de manu tua crucem et portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi.*“**) Haec crux, *quae in praesenti est momentanea et levis, aeternum gloriae pondus operatur in coelis.****)

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) S. Aug. — **) Thom. K. lib. III. c. 56. — ***) II. Cor. 4, 17.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Vix Jesus cruce onustus ex urbe Solyma egressus fuerat, doloroso lapsu sub crucis pondere in terram cadit.

2) Vides, anima mea, in terra prostratum illum, *qui erigit elisos.***) Accede, erige jacentem Jesum! Verum quomodo illi appropinquare audebo ego peccator, qui tot scelerum mihi conscius sum, ego, qui peccavi super numerum arenae maris, ego, *cujus iniquitates supergressae sunt caput meum?* ***) Non audeo, tam propinque ad Jesum accedere, quia *homo peccator sum,*†) sed ut publicanus a longe stans percutiam pectus meum et dicam:

3) „*Deus, propitius esto mihi peccatori!*" vel cum filio prodigo: „*Pater, peccavi in coelum et coram te, non sum dignus, vocari filius tuus!*"††) Sum, fateor, filius prodigus, sum et publicano illo pejor; sed tu, o Je-

---

*) Ps. 108, 25. — **) Ps. 145, 8. — ***) Ps. 37, 5. — †) Lucas 5, 8. — ††) Luc. 15, 18. 19.

su sub pondere crucis in terra jacens, utriusque es redemptor, ergo *redime me et miserere mei!**) Et quia prodigus es in miserando, prodigum non repelles, admittes me cum patre illius prodigi hic in gratiam, postea in gloriam.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Occurrit Maria filio suo crucem bajulanti et post trium horarum spatium in infami crucis ligno morituro.

2) Aspectus matris afflictae occurrentis non minuit, sed auget filii dolorem; aspectus filii in cruce morituri auget matris dolorem ejusque animam transfigit.

3) O Maria! per illum doloris gladium, qui in passione filii tui animam tuam transfixit, te rogo: „*Sicut occurristi filio tuo morituro, ita mihi quoque, forsitan brevi morituro, occurre potenti patrocinio*

*) Ps. 25, 11. — **) Job 16, 17.

Digitized by Google

tuo!" Te, o Maria, patrocinio tuo praesentem in hora mortis aspiciens *non timebo mala, quoniam tu mecum es.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Angariatur Simon Cyrenaeus ab ministris injustitiae, ut infirmatum Jesum in cruce portanda juvaret; qui tamen ab initio maximopere recusavit, postremo tamen lubens portavit.

2) Si Deus angelum mihi mitteret nuntiantem, Dei voluntatem esse, ut hanc crucem et adversitatem N. N., qua modo premor, aequo animo suscipiam et sustineam, an non prompte et patienter acceptarem? Atqui aeque certum est, Deum, etsi nullum mittat angelum, velle, ut hanc crucem et adversitatem, ab eo mihi immissam, suscipiam et patienter in sa-

---

*) Ps. 22, 4. — **) Ps. 68, 21.

Digitized by Google

tisfactionem peccatorum feram. Ergo tanto promptius,

3) O Jesu, hanc crucem suscipiam et adversitatem, quanto certius mihi constat, a patre tuo divino mihi fuisse impositam, in hac vero cruce portanda non hominem, non Simonem Cyrenaeum, sed te ipsum socium et adjutorem me habere. In hac cruce portanda, o Jesu, *adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus, salutaris meus!*)*

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Christus dominus bajulans sibi crucem ad montem Calvariae pergeret inter militum et satellitum cohortes, eum omnes videre desiderabant. Quidam intendebant ad Judaeorum tripudia, alii ad carnificum saevitiem, alii ad crucis et mortis quae praeferebantur instru-

---

*) Ps. 26, 9. — †) Is. 53, 3.

Digitized by Google

menta, quidam per fenestras, alii in plateis scenam tragicam spectabant. Inter has pia Veronica, intuens faciem Domini patientis foedissime deformatam et vulneratam, sudarium ex commiseratione porrigit.

2) Oculis corporis pia Veronica faciem Jesu patientis aspexit, et pia commiseratione mota est. Ego oculis fidei toties aspicio faciem Jesu patientis et morientis, et quis fructus sequitur? quae emendatio? Utinam non anni vitae meae posteriores prioribus essent pejores! In primis sacerdotii annis fui calidus, ex calido factus sum tepidus, ex tepido omnino frigidus.

3) O Jesu dolorosissime! In facie vulnerata et foede deformata video faciem peccatorum meorum; horum numerum, proh dolor! in dies magis augens cum Propheta tuo regio exclamare cogor: „*Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.**) *Jam poenitens faciem tuam, Domine, requiram,* †) *fructus dignos poenitentiae tempestive faciam,* ††) *ut aliquando securus sim a facie irae et indignationis tuae.*“ †††)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. 37, 4. — †) Ps. 26, 8. — ††) Matth. 3, 8. — †††) Ps. 101, 11.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis, et non homo etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Non cessante carnificum crudelitate, cruciatibus auctis, iterato Jesus sub crucis pondere in terram labitur.

2) Vere hic de Christo sub cruce prostrato vaticinatus est Isaias: „*Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.*" Nunquam aperuit Jesus, mitissimus agnus, os suum contra carnifices, utut omni crudelitatis genere in eum saevientes. Ego vero quam parum imitari studeo exemplum mansuetissimi Jesu, summi sacerdotis? Vix aliquis me verbo vexatorio aut despectivo pungit, statim totus excandesco in iracundiae flammas, vindictae cupidus aperio os meum et injuriam saepe imaginariam tantum retortis verbis contumeliosis vindicare contendo, leoni quam agno similior.

3) O Jesu mitissime, qui ad tot cruciatus et illatas injurias velut agnus ob-

---

†) Ps. 21, 7.

Digitized by Google

mutuisti et non aperuisti os tuum, aufer a me omnem iracundiae et vindictae spiritum, econtra mansuetudinis tuae spiritum innova in visceribus meis, veniens vero judicare, ex agno mutatus in leonem, noli me condemnare!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mùlieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis per viam etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Cum Jesum, cruce onustum, sanguine et sudore perfusum, vulneribus plenum conspiciunt mulieres, ex pia commiseratione in lacrymas prorumpunt.

2) Mulieres Jesum patientem aspicientes lacrymantur. Ah, quoties ego Jesu patientis imagines siccis oculis sine ullo doloris ac compassionis motu hactenus aspexi! Adeo durum et conglaciatum est cor meum. At hodie radii, densius de coelo missi, liquabunt cordis glaciem,

---

†) Thren. 1, 12.

Digitized by Google

ut per oculos fluat, quoties de amarissima Jesu Christi passione cogitavero.

3) O Jesu! quis est homo (ne dicam Christianus, aut sacerdos), qui non fleret, si te in tanto supplicio videret? Tulisti clavos, lanceam multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores et angores ac mortem, et haec propter me ac pro me peccatore. Ergo super te posthac flere, tibi dolenti condolere in planctu desidero, donec ego vixero.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Judaeorum crudelitas in Christum tanta erat, ut, licet illum summe debilitatum et viribus destitutum cernerent, verberibus tamen, pugnis et fustibus eo usque ad progrediendum eum impellerent, donec Jesus horribili lapsu tertia vice in terram prosterneretur.

2) Quis hunc tertium, omnium dolo-

†) Is. 53, 5.

Digitized by Google

rosissimum Christi lapsum causavit? Quis nisi ego peccator inveteratus, habituatus et, quod maxime dolendum, consuetudinarius? Quoties per sacra Christi vulnera in poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis a vulneribus animae meae sanatus fui? Quoties per nova scelera Jesu Christo nova vulnera inflixi? Quoties Jesum de novo novis peccatis meis in terram prostravi? Ego sum inter illos *rursus crucifigentes* (rursus prosternentes) *sibimetipsis filium Dei*, *) dum, nulla emendatione secuta, iisdem semper gravatus peccatis, poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis abusus sum. Emendationem promitto, sed promissum non servo, meliorationem vitae propono, sed propositum non exsequor. O misera vitae meae historia!

3) *Confiteor*, o Jesu, *adversum me injustitiam meam*, †) quia peccavi nimis in vita mea, cogitatione, verbo et opere. Ego te toties per repetita peccata in terram prostravi, mea toties repetita peccata fuerunt causa tuorum sub cruce lapsuum, malitiosissimam meam crudelitatem affectu om-

*) Hebr. 6, 6. — †) Ps. 31, 5.

Digitized by Google

nium vere poenitentium jam hoc momento detestor et abominor: aut mutanda est vita, aut fides; nimis magna repugnantia est, credere te Deum propter peccata extrema passum, tanta tamen cum voluptate adhuc peccare, ac si passionem et mortem tuam vanam esse fabulam existimarem etc.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Priusquam Judaei Christum crucifigerent, eidem vestes non sine dolorosissima vulnerum renovatione diripiunt et a corpore sauciato abstrahunt.

2) Voluit nempe Jesus totum corpus denudari, ut amoris ardorem in corde intemperantius aestuantem afflantis aëris frigore temperet. Quot hic corporis hiant vulnera, tot amoris patent specimina, ita ut Paulus vere appellarit *charitatem nimiam, quà dilexit nos.***) Sufficiebat pro

---

*) Is. 1, 6. — **) Ephes. 2, 4.

salute totius mundi unicum suspirium, voluit subire crucis supplicium; satis erat, si stillasset ex oculis divinis lacrymula, voluit, quidquid fluebat per venas sanguinis, cum copia instar aquae effundere. Satis erat, pro nostra redemptione movisse semel pedem, voluit currere per urbes, pagos, castella, regiones, per alta montium, per humilia vallium, per plana camporum. Satis erat, pro omnium vita apud patrem unico perorasse verbo, voluit non tantum multa pro nobis loqui, sed et plurima pati ac denique mori.

3) Vere, o Jesu, charitate nimia dilexisti nos. Pereat ergo barbarus ille, qui te non amat; ex consortio hominum expellatur, qui te non amat; habitet cum bestiis, ardeat inter furias acherontis, qui te non amat. *Si quis non amat dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.* **)
℣. Adoro te etc.

*) I. Cor. 16, 22. — **) Ps. 21, 17. 18.

Digitized by Google

1) Vix in crucem se inclinavit Jesus, mox erigunt nervosos lacertos immanes carnifices, manus ejus extendunt, ut vasto malleo clavos infigant, infixis clavis Christum in cruce erigunt.


2) Nihil magis peccati gravitatem declarat, quam ferale Calvariae pegma, quod Deus pater exstruxit *ad ostensionem justitiae in filio suo*, *) quem propter hominis peccatum cruci ignominiosissimae in monte Calvariae affigi voluit. *Propter scelus populi mei percussi eum*, **) vox est divini patris. Unicum peccatum tantae est malitiae, ut illi compensandae minor non sufficiat satisfactio, quam quae in monte Golgotheo ipsa Dei morte stetit. Unicum peccatum tam gravem continet malitiam, ut haec plus ponderet modo in linea displicentiae divinae, quam flagella, spinae, clavi, crux etc., quae in passione Deus homo pertulit. O quoties haec et similia de gravitate peccati meis praedico, interim ipsemet gravitatem peccati non abhorreo, detono de cathedra in vitia, quibus ipsemet sum obnoxius. Blandior mihi de doctrina, quam

*) Rom. 3, 25. — **) Is. 53, 8.

Digitized by Google

Digitized by Google

STATIO XII.



Jesus in cruce moritur.

Digitized by Google

praedico, sed quid juvat, si exemplo destruo, quod verbis aedifico? Integras communitates reformare volo, et ex eis peccata eliminare, quae tamen ipsemet facio, filium Dei rursus mihimet crucifigens.

3) Fateor, o Jesu, quod res est! Peccavi peccatum grave idque non unicum. Peccavi peccatum, cujus gravitatem satis agnosco et meis toties praedico; peccavi, et per peccatum renovavi dolorosissimam crucifixionem et necem tuam, everti crucem pro salute mei erectam, in corde meo peccaminoso nova flagella reperisti, novas spinas, novos clavos, novas cruces. Peccavi; *tibi soli peccavi et malum coram te feci, sed iniquitatem meam cognosco, et peccatum meum contra me est semper.**) „*Statui, deinceps custodire judicia justitiae tuae.*" **)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.*†)
℣. Adoro te etc.

---

*) Ps. 50, 6. — **) Ps. 118, 106. — †) Phil. 2, 8.

Digitized by Google

1) In cruce moritur Deus homo innocentissimus, moritur inter latronum blasphemias, inter dolores maximos, inter cruciatus inexplicabiles, clamore valido, moritur inclinato capite.

2) Sic mori voluit, qui amari voluit. Cum dilexisset me Jesus, in finem, id est, usque in mortem, mortem autem crucis me dilexit. Pro hac dilectione nihil nisi et meam reciprocam dilectionem requirit moriens Deus.

3) O Jesu, qui usque in finem, usque in mortem me amasti, cur non et ego amem te, non ut in coelo salves me, aut ne aeternum damnes me, nec praemii ullius spe, sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, da, ut a tui amore non desistam in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.* *)
℣. Adoro te etc.

1) Postquam in cruce amantissimus

*) Luc. 2, 35.

salvator spiritum emisit, petiere corpus Jesu exanime Nicodemus et Josephus Arimathaeus, qui illud de cruce deposuerunt et in sinu matris afflictissimae collocarunt.

2) Liceat mihi, jam propius ad contemplanda vulnera in corpore exanimi mei divini redemptoris accedere. Tot in eo vulnera video, quot scelera commisi. Multiplicatis sceleribus peccatoris multiplicata sunt redemptoris vulnera. Quomodo numerabo ejusdem vulnera, qui mea non possum numerare scelera? Si vero numerando deficio, saltem a planctu non deficiam.

3) O Maria, mater compatientissima, colloca in sinu meo vulneratum pro me dilectum filium tuum ejusque dulcem memoriam menti meae imprime; fac, ut semper portem in corde meo mortem domini mei, Jesu Christi, *per quem mihi mundus sit crucifixus, et ego mundo.* *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Gal. 6, 14.

Digitized by Google

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.**)

℣. Adoro te etc.

1) Ex sinu virginis in sinum terrae deponitur corpus redemptoris et in sepulchro collocatur, de quo pridem Propheta vaticinatus est: „*Et erit sepulchrum ejus gloriosum.*"

2) Quid sepulchrum Christi, sacerdotis illius magni, imo maximi, gloriosum effecit? Numquid opera ejus in vita? *Opera enim eorum sequentur eos.***) Christi viventis opera sequuntur eum mortuum et vel sepulchrum ejus gloriosum faciunt. Meum econtra sepulchrum quam inglorium erit post tot opera ingloria et mala, quae me mortuum sequentur! Quid cogitabitur? Quid dicetur de me mortuo? Nihil aliud nisi: *Fuit sicut populus sic et sacerdos.*†) Quale opprobrium, si hominis rustici et plebei sepulchrum gloriosius erit meo, de quo fors verificabitur illud Danielis: „*Et ablata est ejus gloria.*" ††)

---

*) Is. 11, 10. — **) Apocal. 14, 13. — †) Oseas 4, 9. — ††) Dan. 5, 20.


Digitized by Google

3) O Jesu, cujus sepulchrum fuit eritque semper gloriosum! *Ego quoque gloriam meam in pulverem* (in sepulchrum) *deducam.**) Opprobrium quidem sepulchri mei, quod temporale est, non metuo, sed opprobrium sempiternum timeo, rogans cum propheta tuo regio: „*Ne des me in opprobrium sempiternum.*" **)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. 7, 6. — **) Ps. 77, 66.



Digitized by Google

Praxis undecima.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Multa pro innocentia Jesu Pilatus egit; non pauca, ut eum absolveret, fecit, sed nihil effecit. Videns itaque Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret in populo, condemnavit Jesum, licet innocentem, ad mortem crucis.

2) Hic ipse Jesus, quem video a Pilato judicatum, veniet aliquando non judicandus, sed judicaturus me sacerdotem, *servum, quem constituit super familiam suam.***) Vae mihi, si servus malus fuero! *Adducet dominus servum malum in judi-*

---

*) Ps. 93, 21. — **) Luc. 12, 42.

Digitized by Google

cium,*) et dividet eum a turba servorum fidelium partemque ejus ponet cum hypocritis, qui sibi nonnisi ad speciem servierunt, praeter vestem et coronam clericalem nihil boni habentes. Hypocritis immixtum, omni privilegio fori et canonis exutum, degradatum stygiis tortoribus tradet. Sic judicato et condemnato sacerdoti, servo malo, quis erit tunc animus? Dentibus suis fremet et tabescet, dicens intra se: *Si sic futurum erat mihi, quid necesse fuit concipere propositum sacerdotii, consecrari, praefici; bonum erat mihi, si natus non fuissem etc.***)

3) O Jesu, qui judex crederis esse venturus! Tale mihi ne eveniat judicium, firmissime propono sedulo posthac faciendi, quidquid conscientia et officium exigit. Conscientia poenitentiam, officium vigilantiam exigit. Interea poenitens clamo ad te: „Heu mihi, domine, quia peccavi nimis in vita mea; quid faciam miser, ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? Miserere mei, dum veneris in novissimo die.“

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Eccl. 12, 14. — **) Genes. 25, 22.

Digitized by Google

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Vix Judaei bibulis auribus ex ore Pilati sententiam exceperunt, ut Jesus crucifigeretur, sine mora omnia feralis pompae instrumenta parabant, inter haec etiam crucem, quam humeris suis impositam Jesus ad montem Calvariae bajulat.

2) De hac Christi cruce magnifice scribit s. Chrysostomus: „*Crux nobis totius beatitudinis est causa; haec nos a potestate liberavit erroris, haec e tenebris nos reddit luci, haec debellatos quieti sociavit, haec alienatos Deo conjunxit, haec longe constitutos Deo proximos praesentavit, haec peregrinantes cives effecit, haec discordiarum amputatio est, haec pacis firmamentum, haec bonorum omnium abundans largitio.*“ Sed ego crucem extollo verbis et deprimo operibus. Praedico crucem lingua, repudio manu. Toties crucem facio in Missae sacrificio, et tamen mentem, a cruce

---

*) Is. 53, 7.

Digitized by Google

alienissimam, habeo. Particulas crucis veneror, manens crucis inimicus, imo et crucifixi, cujus vulnera peccatis renovare non cesso.

3) O Jesu, qui crucem in tuos sacros prompte suscepisti humeros, infunde cordi meo amorem crucis, ut mortificationem crucis, quam praedico lingua, etiam affectu teneam, ambabus, ut ajunt, manibus posthac crucem amplectar, in ejusdem amplexu vivam et moriar.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.*)*

℣. Adoro te etc.

1) Crux Christo imposita tam erat ponderosa, ut viribus deficientibus salvator amantissimus in terram lapsu dolorosissimo corruerit.

2) Jesum, sub cruce lapsum, mihi loquentem audire videor: „*Vide, sacerdos, quae pro te patior, ad te clamo, qui pro*

*) Ps. 108, 25.

Digitized by Google

te morior; vide poenas, quibus afficior, non est dolor, sicut quo crucior, et cum sit tantus dolor exterior, intus tamen dolor est gravior, cum te tam ingratum experior!"

3) Agnosco, o Jesu, me tibi patienti modis infinitis esse obstrictum. Ingratus fui hactenus, tuae passionis oblitus raro de ea cogitavi, toties peccando eandem renovavi, detestor ingratitudinem, parce ingratissimo peccatori, da veniam contrito, et per vulnera illa, quae tibi, crucem bajulanti, amor mei inflixit, famulo tuo subveni, quem pretioso sanguine redemisti.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Christus crucem bajulans obviam habet suam sanctissimam et dilectissimam matrem, quam licet videret ob suam mortem afflictissimam, pergit tamen ad eam

---

*) Job 16, 17.

Digitized by Google

obeundam, opus redemptionis consummaturus.

2) Sic Deus patiens dilexit me, ut nec sibi nec propriae parceret matri, quam in passione sua usque ad mortem affligi voluit, ut mihi peccatori vitam conferret. Inter homines non surrexit major matre Dei Maria, nec tamen eidem parcit. Non parcit Jesus proprio suo sanguini, quem pro me in passione sua usque ad ultimam guttam profudit. Non parcit corpori, quod pro me offert in cruce, non parcit animae, quam pro me moriens ponit, non parcit suo spiritui, quem in manus patris pro me tradit, non parcit denique matri suae alioquin sibi dilectissimae, quam in passione sua doloris gladio transfigi voluit.

3) Sic, o Jesu, dilexisti me, ut nec tibi nec tuae dilectissimae matri propter me parceres! O vere inaestimabilis dilectio charitatis! Per Mariam, matrem tuam dolorosissimam, te rogo: Parce mihi, servo tuo, propter quem non pepercisti matri tuae: „*Veniant mihi miserationes tuae, et vivam.*“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Ps. 118, 77.

Digitized by Google

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Crucis gravitate et tortorum saevitie Jesus in tantum erat debilitatus, ut pedem movere vix valeret, ne dicam grave crucis pondus portare; ideo cogi debuit Simon Cyrenaeus, ut in cruce portanda Jesum juvaret.

2) Utinam ego praesens fuissem, quam libenter portassem et in humeros meos crucem Jesu suscepissem! Nunc vero tam gravem crucem ut feram, Deus non desiderat. Hoc solum desiderat, ut leviores cruces meas et adversa quotidie occurrentia feram, obligationes officii mei quotidianas impleam, indefesse in vinea mihi commissa laborem, portans pondus diei et aestus, molestias nempe officio pastorali annexas. Has leviores et quotidianas cruces ut feram, Deus desiderat.

3) Scio, o Jesu, quod gravia a me non exigas, qui nec levia portare possum.

*) Ps. 68, 21.

Digitized by Google

Tu enim ipsemet dixisti: „*Jugum enim meum est suave et onus meum leve.*“ *) Fac ergo, ut istud portare sic valeam, quod consequar hic tuam gratiam, ibi tuam gloriam.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Vultus Christi speciosissimus sudore, sanguine, sputis et maculis adeo erat deformatus, ut devota Veronica ex commiseratione ad abstergendas maculas Christo sudarium obtulerit.

2) O quam longe differt vultus Christi olim in terra patientis a vultu Christi nunc in coelo regnantis! Vultus Christi patientis vulneribus, sputis, plagis obnubilatus; Christi in coelo regnantis splendet ut sol. Felices animae beatorum, quos Christus suo vultu speciosissimo laetitia in coelo perpetua adimplet. Infelices vero

*) Matth. 11, 30. — **) Is. 53, 3.

Digitized by Google

tot animae damnatorum, utinam non etiam sacerdotum, qui specie mulieris misere decepti aeternum perierunt et propter vultum feminae, qui praeter coloratam pellem habet nihil, pulchritudinem perdiderunt vultus divini, ejus aspectu privati in aeternum.

3) O Jesu, *speciosissimus forma prae filiis hominum,* *) *illumina vultum tuum super me,* **) ut species mulieris nunquam me decipiat. *Jam pepigi foedus cum oculis meis, ne cogitem amplius de virgine,* ***) aut virginis vultu, *cujus vana est pulchritudo;* †) *tu vero adimplesti me laetitia cum vultu tuo,* ††) et adimplebis, ut spero, in aeternum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis etc.* †††)

℣. Adoro te etc.

1) Ad portam judiciariam, quae ducebat ad montem Calvariae, Jesus denuo

---

*) Ps. 44, 3. — **) Ps. 66, 2. — ***) Job 31, 1. — †) Proverb. 31, 30. — ††) Ps. 15, 10. — †††) Ps. 21, 7.

viribus fractus horribili lapsu in terram cadit.

2) Si cui libet, peccati gravitatem cognoscere, non opus est, coelos ascendat ibique ob unícum peccatum sola cogitatione commissum tot angelorum myriades, coelo proscriptas, sibi proponat. Non sibi objiciat ob peccata coelorum cataractas apertas et ruptos abyssi magnae fontes totumque genus humanum fluctibus haustum; non opus est, cogitet Pentapolin sulphure et pice ac igneo nimbo fumantem. Non opus est, descendat ad inferos ibique lustret saeva et dira supplicia, quibus reprobi ob peccata commissa sine fine cruciantur. Sed si ignoret peccati gravitatem, pergat ad Hierosolymae urbis portam, quam judiciariam vocant, ibique spectet pedibus lictorum Deum vinctum, vulneribus plenum, ad mortem condemnatum, sub cruce prostratum. Ex medicina morbi gravitatem cognoscet, ex immanitate poenae atrocitatem culpae assequetur.

3) Satis, o Jesu, ex atrocitate tuorum vulnerum cognosco atrocitatem scelerum meorum! Quo atrociora mea in te scelera,

Digitized by Google

eo intensior mei dolor animi. Tu vero, o Jesu sub cruce prostrate, pone vulnera tua inter judicium tuum et animam meam, et salva fiet anima mea.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Mulieres quaedam videntes, quae et quanta dominus Christus patiatur, ex pia commiseratione flere coeperunt, quibus Christus dixit: „*Nolite flere super me, super vos ipsas flete et super filios vestros.*"

2) *Super vos ipsas flete*, dicit Jesus mulieribus flentibus, ac si diceret: Merito vos flere oportet, quia vobis et filiis vestris utpote incredulis et impoenitentibus passio mea et sanguis meus profusus non proderit. Licet Christus dominus, sacerdos summus, praeviderit in plurimis peccatoribus impoenitentibus et incredulis suos in docendo et praedicando labores fore frustraneos, pro innumeris homi-

*) Thren. 1, 12.

Digitized by Google

nibus se passurum et moriturum sine fructu, nihilominus non recusat pati et mori, sed totum divini patris sui commisit voluntati, nobis sacerdotibus relinquens exemplum, ut quoad fructum laborum nostrorum, quos in cura animarum subire oportet, nostram divinae conformemus voluntati. Curam enim solum a nobis exigit Deus, non curationem, dicente s. Bernardo. Curationem propriae praeprimis animae a me exigit Deus juxta illud: „*Medice, cura te ipsum.*" *) Curationem vero animarum ceterarum divinae voluntati me relinquere oportet. Quid enim prodesset, si peccatores totius mundi lucrifacerem, animam vero propriam negligerem ejusque detrimentum pati contingeret, quid prodesset?

3) O Jesu, summe sacerdos, qui tanta pro omnibus hominibus totius mundi facere et pati dignatus es, pro innumeris autem sine fructu, super quos merito flere jubes mulieres! *Ecce ego, quia vocasti me,* **) ut in salutem animarum cooperer tibi,

---

*) Luc. 4, 23. — **) I. Reg. 3, 6.

Digitized by Google

non recuso laborem, etsi huic optatus saepe non respondeat fructus, fiat voluntas tua. O si omnes homines totius mundi, pro quibus tanta passus es, convertere tibique lucrari possem, quam libenter id facerem! Omnem posthac impendam operam, ut saltem in meis, quos tradidisti mihi, fructus passionis tuae non pereat. Da, o Jesu, perficere, quod dedisti sancte velle!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Tam grave pondus crucis, ut Jesus, totus debilitatus, tertia vice sub cruce laberetur.

2) Debilitatus enimvero Jesus non tam pondere crucis, quam pondere peccatorum meorum, quae in cruce portabat. O pondus grave peccatum sacerdotis!

---

*) Is. 53, 5.

Hunc enim peccantem ab intellectu laicis longe instructiorem esse quis nescit? quod a laicis, mihi subditis, improbo fieri, ipsemet facio; et quod probo, facere negligo. Scienti et non facienti ponderosum et grave peccatum est illi; scio, hoc vel illud debere fieri, et tamen non facio; scio, hoc vel illud non debere fieri, et tamen facio. Ergo me non excusat (veluti multos et laicos) ignorantia, sed potius accusat me malitia et condemnat me propria scientia et conscientia.

3) O Jesu, agnosco iniquitatem meam. Per repetitos dolorosos lapsus sub cruce te rogo: „*Dele iniquitatem meam.*" *) Recordare, Jesu pie, quod sum causa viae tuae, ne me perdas illa die!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) Priusquam Jesus crucifigeretur, vesti-

---

*) Ps. 50, 3. — **) Is. 1, 9.

Digitized by Google

bus suis partim se ipsum exuit, partim a militibus ad crucifixionem festinantibus exuitur.

2) Voluit nempe Jesus, sacerdos summus, nudus mori et exuere omnia, quae sunt mundi, nec vestes sibi retinere, nobis sacerdotibus exemplum relinquens, ut pariter exuamus omnem affectum ad ea, quae sunt hujus mundi, ad honores ac divitias et oblectamenta saecularia, ad nugas, *ad vanitates et insanias falsas.**) Habitus enim et tonsura non faciunt monachum, nec vestis nigra et rasum caput clericum, multo minus sacerdotem. Quid prodest, me exuisse olim vestes saeculares, nisi et affectum ad res hujus saeculi exuero?

3) O Jesu, sacerdos aeterne secundum ordinem Melchisedech! Tibi placuit, nudum mori et omnia exuere, quae sunt mundi, nec vestibus retentis. Nudus pariter, affectu omni ad res hujus saeculi relicto, vivam posthac et moriar, ut verius dicere possim cum propheta tuo re-

---

*) Ps. 39, 5.

Digitized by Google

gio: „*Dominus pars haereditatis meae et calicis mei; tu es. qui restitues haereditatem meam mihi.*“ *)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.* **)

℣. Adoro te etc.

1) In crucem immani rabie prosternitur Jesus innocentissimus, ejusque manus et pedes oblongis et obtusis clavis in crucifixione perforantur.

2) Tandem Jesus confixus est cruci. O quantum disconveniunt Jesus, pontifex ille magnus, in duro ligno, sacerdos in molli lecto! Jesus nudus, sacerdos vane et ad novitatem mundanam more laicorum vestitus! Jesus inter spinas, sacerdos inter rosas. Jesus dolens ad sonitum mallei, sacerdos gaudens ad sonitum organi. Profecto hic non est spiritus Christi. Audio Paulum et contremisco ad ejus

---

*) Ps. 15, 5. — **) Ps. 35, 9.

oraculum: „*Si quis spiritum Christi non habet, non est ejus.*“ *) Non est habere spiritum Christi, vivere vitam tam difformem vitae Christi. Non est habere spiritum Christi, vivere secundum carnem. „*Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*“ **)

3) O Jesu! Ne moriar vivendo secundum carnem, cupio, tecum affigi in crucem, *illic spiritu facta carnis mortificabo*; †) *si enim commortui sumus, et convivemus.* ††)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.* †††)

℣. Adoro te etc.

1) Post cruciatus in flagellatione, coronatione, crucis bajulatione perpessos Jesus tandem in cruce per tres horas pendens exspirat et moritur.

2) Si credimus variis sanctorum revelationibus, Christus guttas sanguinis in horto sudans profudit 305; supra no-

---

*) Rom. 8, 9. — **) Rom. 8, 13. — †) Rom. 8, 13. — ††) II. Tim. 2, 11. — †††) Phil. 2.

nagies septies millenas in flagellatione; sexties mille ictus excepit; alapas 110; ictus in collo 120; in capite 85; in ventre 38; in humeris 62; in brachiis 40; in faciem ejus 32 sordida sputa conjecta sunt; os illi trigesies contusum, instar canis pedibus abjectus 170, capillis trecenties tractus, barba illi evulsa, aut hinc inde implicata manu distracta quinquagies octies, in coronatione 300 vulnera a spinis impressa, tormenta, quae poterant ei praesentem mortem inferre, 192 subiit; supremo in agone, quasi jam moriturus, 19 fuit, tandem in ligno crucis mortuus.

3) Domine Jesu Christe! Scribe in corde meo haec tua sanguinea vulnera, ut in illis legam dolorem et amorem tuum et vulnerum tuorum memoria jugiter in me permaneat. In haec sanguinea vulnera tua intingo omnes adversitates, tristitias et angustias meas, ut mihi dulcescant posthac. In haec tua vulnera commendo me, in haec abscondo me, demergo me vivens et moriens.

℟er crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Corpus Christi exanime, postquam fuit de cruce depositum, in sinu virginis matris tenerrime compatientis fuit reclinatum.


2) Non alio in sinu corpus sacratissimum, quam in sinu Mariae, voluit reclinari, quia haec plus ceteris filio suo patienti compatiebatur. *Jesus et Maria erant duae mysticae cytharae*, inquit s. Gregorius, *quarum una sonante resonabat et altera etiam nullo pulsante. Jesu dolente dolet et mater, Jesu crucifixo crucifigitur et mater, crux et clavi filii fuerunt etiam matris.* Quid mirum, quod Jesus post mortem suam in sinu Mariae plus ceteris sibi compatientis reclinari voluerit? Ego vero quoties missae sacrificium incruentum celebro, toties sonat in auribus meis passionis cruentae memoria, nec tamen

---

*) Luc. 2, 35.

Digitized by Google

STATIO XIII.



Jesus de cruce deponitur in sinum Mariæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

resonat in corde meo unicus piae compassionis motus. Indignum plane cor, in quo toties corpus Christi eucharisticum reclinetur!

3) O Maria mater dolorosissima, cujus animam in passione filii tui doloris gladius pertransivit, fac me tecum pie flere, crucifixo condolere, donec ego vixero; juxta crucem tecum stare et me tibi sociare in planctu desidero.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.**)

℣. Adoro te etc.

1) Mortuo redemptore corpus exanime in sepulchro novo, mundo, lapide clauso a Josepho Arimathaeo et Nicodemo collocatur.

2) O utinam cor meum esset tale corporis eucharistici sepulchrum! Non est novum, quia sum inveteratus malorum. Non mundum, quia plenum sordibus pec-

*) Is. 11, 10.

Digitized by Google

catorum, foetore et putredine vanitatum saecularium; non lapide clausum, quia ipsum facile penetrat ventus vanae gloriae, saecularis conversationis et curarum temporalium pulvis etc.

3) O Jesu sanctissime, qui in virtute sacramenti mirabilis in cordibus sacerdotum veluti sepulchrum tibi praeparare dignatus es, deinceps sic inflamma cor meum amore tui, ut accepturus sanctissimum corpus tuum, *non dem* ultra *locum diabolo* *) et operibus ejus, nec regnet peccatum in corpore meo, sed ut vitiis mortuus et consepultus tecum *in novitate vitac ambulem* **) usque ad mortem.

Per crucem etc. Pater noster etc.

*) Ephes. 4, 27. — **) Rom. 6, 4.



Digitized by Google

Praxis duodecima.

STATIO I.

Jesus condemnatur ad mortem.

Ant. *Captabunt in animam justi etc.**)
℣. Adoro te etc.

1) In multis accusabant Jesum Judaei coram judice Pilato, qui, licet post tot accusationes causam mortis non invenerit, nihilominus Jesum innocentissimum ad mortem condemnat.

2) Coram judice Pilato Jesus accusatur, *qui tamen peccatum non fecit*,**) sed omnia bene; ego vero plurimorum scelerum reus quid judici Deo respondebo? Omnia me accusant *de crimine pessimo*, †) coelum, terra, angeli, homines, daemones, tempus, locus, singula corporis mei membra, haec

---

*) Ps. 93, 21. — **) I. Petr. 2, 22. -- †) Gen. 37, 2.

Digitized by Google

omnia me accusant in multis. Quem ergo mihi adsciscam, qui pro me loquatur, advocatum? Non alium nisi Jesum, quem veluti reum coram judice Pilato stantem conspicio: „*Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum.*“ *)

3) O Jesu, reorum omnium advocate! Ego innumerabilium reus criminum, filius irae, haeres gehennae, exul coeli, a patre tuo condemnatus, accedo ad te, advocatum meum, confusus pudore, contritus dolore, clamans cum rege poenitente: „*Tibi soli peccavi et malum coram te feci.*“ †) Desperarem, si vel alium quam te offendissem, vel alium quam te haberem advocatum. Sic, quaeso, defende coram patre causam meam, ne peream. *A, a, a, domine, puer sum, nescio loqui*; ††) tu, o Jesu advocate, loquere pro me coram patre, et scio, *quia pro reverentia exaudieris a patre.* †††)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) I. Jo. 2, 1. — †) Ps. 50, 6. — ††) Jer. 1, 6. — †††) Hebr. 5, 7.

Digitized by Google

STATIO II.

Jesus suscipit crucem.

Ant. *Tanquam ovis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Post prolatam mortis sententiam Christus dominus crucem in suos humeros suscipit illaque onustus ad montem Calvariae pergit.

2) Duo hic consideranda mihi occurrunt: alterum est patris filium tam severe plectentis justitia, alterum filii pro me patientis clementia. Illa provocat me ob scelera commissa ad timorem, haec ob remissa ad amorem incitat. His duobus pedibus dextero amoris et sinistro timoris

3) Sequar te, o Jesu, ad montem Calvariae eroque eorum, quae pateris, non tantum otiosus spectator, sed et studiosus imitator! Sequar te, *quia es via*, ut consequar te, *qui es vita.***)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO III.

Jesus sub cruce labitur.

Ant. *Ego vero factus sum opprobrium etc.*†)

℣. Adoro te etc.

*) Is. 53, 7. — **) Jo. 14, 6. — †) Ps. 108, 25.

1) Quo debilior erat Jesus, eo majore crudelitate in eum saeviit insana turba carnificum, usque dum post repetitas fustigationes et violentas tractiones dolorosissime in terram laberetur.

2) Christum sub cruce prostratum, contra me peccatorem sic conquerentem inducit s. Bernardus: „*Magis aggravant me vulnera peccati tui quam vulnera corporis mei.*“ Aggravabant Jesum sine dubio vulnera corporis sui, sed longe magis aggravabant eum vulnera peccati mei. O quam innumera et atrocia vulnera!

3) *Tu, o Jesu, prope exanimis, sub cruce fatiscens, plenus vulneribus, plenus doloribus jaces in terra, et ego voluptati illicitae operam dabo nunquam amplius in aeternum.**)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IV.

Jesus obviat matri.

Ant. *Facies mea intumuit a fletu etc.***)

℣. Adoro te etc.

1) Dum Jesus bajulans sibi crucem ad montem Calvariae, locum crucis supplicio

*) S. Bernard. — **) Job 16.

Digitized by Google

destinatum, pergit, illi obviat sanctissima ejus mater Maria, cujus animam in aspectu filii sui dilectissimi doloris gladius pertransivit.

2) O quam tristis et afflicta fuit illa benedicta mater unigeniti, quae moerebat et dolebat, pia mater dum videbat nati poenas inclyti, dum pro peccatis suae gentis videt Jesum in tormentis et flagellis subditum!

3) O sancta mater, istud agas, crucifixi fige plagas cordi meo valide, tui nati vulnerati, tam dignati pro me pati, poenas mecum divide! Quando corpus morietur, fac, ut animae donetur paradisi gloria! O Jesu, cum sit hinc exire, da per matrem me venire ad palmam victoriae!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO V.

Simon Cyrenaeus angariatur.

Ant. *Sustinui, qui simul contristaretur etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Ne Jesus, sub pondere crucis nimium infirmatus, ante crucifixionem mo-

†) Ps. 68, 25.

Digitized by Google

riatur, coëgerunt milites Simonem Cyrenaeum venientem de villa, ut Jesum in cruce portanda adjuvaret. Ab initio quidem invitus, postea vero promptus hoc obsequium Christo patienti praestat.

2) Gratissimum fuit Christo patienti hoc Simonis obsequium. Gratissimum ego quoque Christo praestabo obsequium, adjuvans eum cum Simone in cruce ferenda. Qua ratione a me adjuvandus sit, ipsemet Christus cuidam religioso apparens exposuit: „*Gratius mihi nihil feceris*, *quam si adjuves me in cruce portanda per frequentem compassionem et memoriam passionis et mortis meae. In ore tuo crucem meam porta per cordialem regratiationem pro omni eo*, *quod pro te sustinui.*“

3) O afflictissime Jesu, hoc tibi obsequium promptissime posthac impendam! Quotidiana memoria memor ero passionis et mortis tuae, gratus pro omni eo, quod dignanter pro me sustinuisti. Sic a me adjutus in cruce ferenda tua tu quoque *intende in adjutorium meum*, *domine Deus salutis meae!* †)

Per crucem etc. Pater noster etc.

†) Ps. 37, 23.

Digitized by Google

STATIO VI.

Veronica cum sudario.

Ant. *Quasi absconditus vultus ejus etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Postquam Christus dominus sudario a pia Veronica oblato faciei sacrosanctae maculas abstersit, una cum sudario imaginem faciei suae impressam restituit.

2) *Cujus est haec imago?* **) Non Caesaris alicujus, sed ejus, *sub quo etiam Caesares curvantur*, ***) ejus, qui est *rex regum et dominus dominantium.* †) *O quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus!* ††) Quis vero hoc obscuravit aurum? Quis mutavit colorem optimum faciei sacrosanctae? Quis nisi ego peccator? Vulnera, quae in facie Jesu sudario Veronicae impressa video, quid aliud sunt nisi mea scelera?

3) Exosculor, o Jesu, sanctissimam faciem tuam pro me et propter peccata mea vulneratam. Ex puro et gratuito tui amore detestor omnia peccata mea eaque in roseis et suavissimis sacrae faciei tuae vulneribus abscondo, ut sub hoc latibulo

*) Is. 53. — **) Matth. 22, 20. — ***) Job 9, 13. — †) I. Tim. 6, 15. — ††) Thren. 4, 1.

Digitized by Google

vulnerum tuorum securus sim *a facie vastatoris.* †)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VII.

Secundus Christi lapsus.

Ant. *Ego sum vermis etc.* ††)

℣. Adoro te etc.

1) Christus dominus, post tot cruciatus a Judaeis nihil mitius tractatus, sed variis cruciatibus indesinenter affectus, jam iterum sub cruce dolorosissimo lapsu in terram corruit.

2) Confundor totus Jesum in terra prostratum aspiciens: illi in capite spinae, mihi in capite rosae; ille inter poenas, ego inter delicias; illi in ore fel et acetum, mihi mel et vinum; ille inter contumelias et opprobria, ego inter plausus et gratulationes. Ille in summa inopia, ego in opulentia; ille in fame et siti, ego in exquisitis cupediis; ille in doloribus, ego in honoribus etc. — et tamen tam difformis Christo coelum spero ut certum.

3) O Jesu dolorosissime! Si te, *filium*

†) Is. 16, 4. — ††) Ps. 21, 6.

Dei, pati oportuit et ita intrare in gloriam tuam)* propriam, quomodo ego, nihil patiens, in gloriam alienam intrare potero? Tuae ut fiam socius gloriae, ero et socius tuae ignominiae; nolo sub spinoso capite esse membrum delicatum.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO VIII.

Mulieres lacrymantur.

Ant. *O vos omnes, qui transitis etc.*†)

℣. Adoro te etc.

1) Tristissimam Christi ad montem Calvariae processionem, carnificum barbariem, Judaeorum rabiem conspicatae mulieres lacrymas ex compassione pias fundunt.

2) Quis non cum mulieribus fleat, Jesum pro peccatis nostris extrema patientem aspiciens? *Peccat iniquus, et justus punitur; delinquit reus, et vapulat innocens; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exsolvit dominus; quod committit homo, sustinet Deus.*††) *Necdum deducitis lacrymam oculi mei*†††) videntes prop-

*) Luc. 24, 26. — †) Thren. 1, 12. — ††) S. Bern. — †††) Jerem. 14, 17.

Digitized by Google

ter mea scelera in filio Dei innocentissimo tot vulnera?

3) Tu, o Jesu, *eripuisti* quidem *oculos meos a lacrymis.* *) Nihilominus lacrymas exprimit ex oculis meis aspectus vulnerum tuorum. Hae lacrymae dulciores tibi sunt super mel et favum. Audeo hic idem loqui, quod tuus Propheta: *Inebriabo te lacryma mea* **) tam diu, donec *abstergas omnem lacrymam ab oculis meis.* †)

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO IX.

Tertius Christi lapsus.

Ant. *Ipse autem vulneratus est etc.* ††)

℣. Adoro te etc.

1) Prosternitur in terram sub pondere crucis patiens Jesus non una tantum, sed iterata ac tertia vice. Dolorosus lapsus primus, dolorosior secundus, tertius omnium dolorosissimus.

2) Quocunque Jesus sub cruce jacens oculos suos vertit, nihil nisi dolor occurrit, nec est, qui in dolore consoletur

---

*) Ps. 114, 8. — **) Is. 16, 9. — †) Apoc. 21, 4. — ††) Is. 53, 5.

eum. Videt se totum cruore perfusum, vulneribus saucium, plagis lividum, videt gentem suam dilectam totamque Synagogam ob mortem suam exsultantem; videt se medium inter lictores, videt montem Calvariae, in eo se cruci affigendum. Scit se a Juda proditum, a Petro ter negatum, ab apostolis desertum, a militibus captum, a scribis falso accusatum, a Judaeis illusum, ab Herode spretum, a Pilato condemnatum, a Romanis flagellatum, a sacerdotibus rejectum, ab omnibus derelictum. Heu, quando tandem intelliget homo, quanta sit abominatio peccatum, pro quo luendo Dei filius ultima quaeque opprobriorum ac cruciatuum subire debuit supplicia!

3) Christe Jesu, ad mortem propter peccata mea afflictissime, qui, ut mea peccata lueres, exhausisti, quod in tormentis crudelissimum, in injuriis contumeliosisissimum fuit! Nec respicias peccata mea, sed sanguinem tuum, quem ad abluenda peccata mea fudisti! Dele chirographum peccati mei tuo sanguine!

Per crucem etc. Pater noster etc.

Digitized by Google

STATIO X.

Jesus exuitur vestibus.

Ant. *A planta pedis etc.**)

℣. Adoro te etc.

1) Jesus cruci propediem affigendus, vestibus violenter detractis, a militibus rabidis exuitur.

2) Horrendum pudorem et extremam confusionem sustinuit verecundissimus Mariae filius, dum detractis vestibus nudus coram ingenti hominum multitudine stare debuit. Quis hunc pudorem et confusionem Christo causavit? Quis nisi ego pudendis et flagitiosis factis et operibus meis? Quantus vero pudor, quanta confusio erit mea, cum in novissimo die tota inspectante hominum et angelorum universitate impudicarum cogitationum, desideriorum et operum pudendorum peccata cum omnibus circumstantiis suis manifestabuntur! O quam prae ingenti confusione optabo tunc, ut *super me cadant montes et colles me operiant!* †)

3) O Jesu verecundissime! Ego peccator sum tuae extremae causa confu-

---

*) Is. 1, 6. — †) Luc. 23, 30.

sionis. Tuis nudari vestibus et hanc dolorosissimam confusionem dignanter sustinuisti, ut me ab aeterna confusione liberares. Jam haec sit mea aeternum duratura protestatio; millies mori malo quam vel minimum quid pudendum et solenniter a me promissae castitati facere contrarium. Tu, o Jesu, ne desis gratia tua!

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XI.

Jesus cruci affigitur.

Ant. *Foderunt manus meas etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) In crucem prostratus Jesus, summus sacerdos, manus pedesque porrigit cruci affigendos.

2) Physica haec fuit crucifixio, quam sustinuit Jesus, summus sacerdos; nobis sacerdotibus aliam et moralem crucifixionem inculcat Apostolus: „*Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem cum vitiis et concupiscentiis suis.*“ **) Ubi vero talis in me crucifixio, si me adhuc tenet superbia vitae, carnis et oculorum concupiscentia,

*) Ps. 35, 9. — **) Gal. 5, 24.

si me adhuc tenent cupiditas ditescendi, amor immodicus commodorum, odium laboris, cura cuticulae, timor morborum ac mortis etc.? Si illecebras mundi, saeculi pompam plus laicis amo, profecto hoc non crucifigere carnem cum vitiis etc.

3) O Jesu crucifixe et amore mei crucifixe! Gratias tibi ago infinitas pro omnibus doloribus, quos in tota passione tua, praesertim vero in crucifixione pro me sustinuisti. *Tolle, crucifige, crucifige**) *carnem cum vitiis et concupiscentiis meis*;**) debet enim mori, quia concupiscit adversus spiritum;***) crucifige veterem hominem cum actibus suis, reus est mortis;†) hunc enim inveni repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati.††) Sic crucifige me, o Jesu, ut, tecum confixus cruci,†††) tecum sim consors regni.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XII.

Jesus in cruce moritur.

Ant. *Humiliavit semetipsum etc.*††††)

℣. Adoro te etc.

---

*) Jo. 19, 6. — **) Gal. 5, 24. — ***) Ephes. 4, 23. 24. — †) Matth. 26, 66. — ††) Rom. 7, 23. — †††) Gal. 2, 19. — ††††) Phil. 2.

1) Superatis immensis doloribus, opprobriis ac cruciatibus Jesus cruci affixus caput inclinat et inclinato capite emittit spiritum.

2) Tandem intelligo, quam pretiosae sint animae mihi commissae, pro quibus mortem crudelissimam Dei filius in cruce subire non dubitavit. Vae ergo mihi, si a concupiscentia deceptus duco in bonis dies meos, animas meorum cum propria tam caro emptas stolide negligo! Post tot dies vitae bonos dies vitae malus unicus appropinquabit, ultimus nempe mortis. In illo die ultimo mortis quis erit mihi animus? quae mens? Quem horrorem mihi causabit aspectus ante me positae imaginis crucifixi, ad cujus tribunal in momento post mortem stabo? Quot in eo vulnera, tot fulmina videbo; quot guttas sanguinis, tot aeternae damnationis meae subscriptiones.

3) A tali luctuosa et infelici morte libera me, o Jesu, per mortem tuam! Corde contrito et humiliato deprecor omnes negligentias in cura animarum hactenus commissas! Per dolores et cruciatus illos immensos, quos pro me in cruce

Digitized by Google

sustinuisti, maxime in illa hora, qua sacratissima anima tua de corpore tuo benedicto egressa est, miserere animae peccatricis meae in egressu ejus.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIII.

Jesus de cruce deponitur in sinum Mariae.

Ant. *Et tuam ipsius animam etc.* *)

℣. Adoro te etc.

1) Postquam Jesus exspiravit in cruce, corpus ejus exanime de cruce deponitur et in sinum Mariae, matris afflictissimae, collocatur.

2) Aspice, o fili, filium meum in sinu meo, ita me alloquentem audio Mariam, aspice filium meum, passus est atrocissima, qualia nemo passus est ab exordio mundi, et passus est haec a te, pro te; dolor externus erat summus, quia commensuratus saevitiae tortorum; dolor internus erat immanis, quia commensuratus amori, qui major exstitit, quam inimicorum furor etc.; sed haec parva sunt et ferenda; quod super dolorem vulnerum

*) Luc. 2, 35.

Digitized by Google

. qua sa-
e tuo be-
nimae pec-

ter etc.

m **Mariae.**

*etc.**)

in cruce.
leponitur
tissimae.

in sinu
Mariam,
atrocis-
exordio
pro te;
nia com-
dolor in-
mensura-
uam ini-
rva sunt
ulnerum

Digitized by Google

STATIO XIV.



Jesus sepelitur.

Digitized by Google

filio meo acerbius, peccata sunt, quibus etiam post passionem suam a christianis, imo et sacerdotibus suis offenditur etc.

3) O Maria, omnium matrum dolorosissima! Utinam nunquam offendissem filium tuum, utinam nunquam! Fierine potuit, o Jesu, ut ista crederem, et tamen te non amarem, offenderem etiam? Servivi satanae ejusque suggestionibus consensi, quoties peccavi. Et quid ille mihi? quae amore mei sustinuit? Ostendat latus pro me perforatum, vulnera pro me perpessa etc. Posthac in omnibus tentationibus tuae amarissimae passionis re cordabor et in aeternum non peccabo.

Per crucem etc. Pater noster etc.

STATIO XIV.

Corpus Jesu sepelitur.

Ant. *Et sepulchrum ejus erit gloriosum.**)

℣. Adoro te etc.

1) Corpus Jesu exanime Josephus et Nicodemus aromatibus ungunt, sindone

---

*) Is. 11, 10.

munda involvunt, in sepulchro devotissime collocant.

2) Postquam Jesus, summus sacerdos, *in laboribus fuit a juventute sua*,*) postquam regnum coelorum praedicavit, pauperibus evangelizavit, pedes vicos et oppida percurrendo fatigavit, jam omnibus laboribus exantlatis, in sepulchro suo in idipsum dormit, somnum capit et in pace requiescit. „*In pace in idipsum dormiam et requiescam*,“ **) audio de se Davidis ore dicentem Jesum. O felicem sacerdotem illum, qui moriens teste conscientia cum Jesu, sacerdote summo, dicere poterit: „*Postquam in laboribus fui a juventute mea, portans in vinea Ecclesiae meae commissae pondus diei et aestus. jam nunc moriens in idipsum dormiam et in pace sempiterna requiescam.*“

3) Utinam, o Jesu, tali felici *morte* sacerdotum *justorum moriatur mea anima!* †)

Per crucem etc. Pater noster etc.

---

*) Ps. 87, 16. — **) Ps. 4, 9. — †) Num. 23, 10.



Oratio

post s. crucis viae exercitium.

Summe sacerdos et vere pontifex Jesu Christe, qui pro mea, meorum omniumque hominum salute voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda osculo tradi, vinculis ligari, sicut agnus innocens ad victimam duci atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari; per hos omnes acerbissimos cruciatus, quos me indignum in sacra crucis tuae via recolere voluisti et per sanctissimam mortem tuam uberem mihi largire gratiam peccata praeterita deflendi, tuum sanctissimum exemplum imitandi, vitam

Digitized by Google

sacerdote dignam instituendi, in salutem animarum tuo pretioso sanguine redemptarum, quarum partem mihi indigno committere dignatus es, tibi posthac juxta vocationem meam sic cooperandi, ut pretiosissimus sanguis tuus, quem fudisti crucem passus, in me meisque non sit cassus. *Serva eos in nomine tuo*,*) tui sunt, quia tu eos creasti; tui sunt, quia pretioso sanguine tuo eos redemisti; tibi igitur illos tanquam tuos in sanctissima tua vulnera commendo et usque in finem pascendos, regendos ac conservandos committo, ut tandem me cum illis perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum, qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Omnia ad majorem Dei immortalis in corpore mortali patientis Deiparaeque compatientis honorem et gloriam!

---

*) Jo. 17, 11.



Digitized by Google

Index.

Corrigenda.

Pag. 47, Nro. 3 lege: „Averte . . . meas dele." †) Deprecatus sum . . . eloquium tuum. ††)
Pag. 214 l. 1 lege: dilaniatum pro delaniatum.

Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Schu


Digitized by Google